NICOLAI GRVCHII

AD POSTERIOREM CAROLI SIGONIJ de binis magistratuum Romanorum comitiis, & de lege curiata, disputationem, refutatio.

Ipsa Caroli Sigonij disputatio ad extremum adiecta est, ne à quoquam, qui ista conferre volet, desideraretur.



PARISIIS,
Ex officina Iacobi du Puys, è regione collegij Cameracensis, sub insigni Samaritanæ.
1567.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

VIRO CLARISSIMO, FRANCIAE CANCELLARIO MICHAELI HOspitali Nicolaus Gruchius S. P. D.

IN grauißimorum negotiorũ infinita prope multitudine, quæ pro tui magistratus munere abs te maximo reip. Gallicæ cõmodo, eximia cũ laude geruntur, locũ tamẽ aliquẽ humanarum litterarum cõmentationi relinquere, omnes quibus tu probè notus es, & sciunt & prædicant. Quinetiã horas subcisiuas, si quas potes arripere, te mãsuetioribus musis dare, omnes testificatur, qui otij ac negotij tempora quàm præclarè sint apud te dispertita, obseruarunt. Itaque si meam cum Carolo Sigonio, viro in primis erudito, disputationem, quæ tota versatur in antiquitatis Romanæ illustratione, qua tu plurimũ pro tua singulari in hoc genere eruditione, oblectaris, ad te vltro mißissem: mihi verendum non erat, ne aut ingratum tibi esset hoc literariũ munusculum, aut indignum videretur cui⁹ tu lectione aliquãdo delectarere. Est enim vt valde obscura, ita acerrimo limatißimóque tuo iudicio haud indigna quæ inter nos agitatur, de binis magistratuũ Romanorum comitiis, & de lege curiata, quæstio. At ego certè non modo iniquum sed prope contumeliosum existimabam patronum mutare quem mihi

in priore responsione ad Caroli Sigonij reprehensiones, asciueram: clarißimum præsertim ac doctißimum virum: mihique ob eam qua me complectitur beneuolentiam, magnopere obseruandum: nisi suo iure sua sponte cesßisset, vltróque mihi auctor fuisset, vt meam hanc refutationem ad posteriorem Sigonij disputationem, ad te mitterem, & sub tuo nomine diuulgarem. Is est Henricus Memmius tibi ob singularem doctrinā egregiámque virtutem, carißimus. Qui tamen in eo profecto non tam suo iure cesßisse videtur, quam ad vtilitatum ornamentorúmque sui clientis procurationem, potentiorem patronum sibi adiungere voluisse. Tu igitur, benignum ac liberalem in me omni qua potest ratione iuuādo animum Hērici Mēmij, pro summa illa qua tibi cōiunctus est amicitia, complexus, posthac Nicolaum Gruchium in tuorum clientum numero habeto: primámque summæ obseruantiæ qua te prosecuturus est significationem, in hoc libello qui ad te mittitur, accipito. At si suo auctorísque sui nomine, minus fortasse tibi satisfaciat, homini & grauißimo & eruditißimo: in Henrici Memmij hominis, tibi amicißimi commandationem, vt animū intendas, te etiam atque etiam rogo. Vale, Lutetiæ Idibus Iulij.

M. D. LXVII.

Ιανοῦ μονλαμβηρίου εἰς γρουχίου τε καὶ σιγονίου διατριβὴν ἐπίγραμμα.

Τιμαλέας ἄνδρας μενοείκεα ταῦτα ποροῦντας
    Δῶρα φρονησάντων ἄξια πολλὰ βροτῶν.
πίστια ζητοῦντας κοινῷ πρεσβεῖα λογισμῷ,
    ὡς πρέπον ἀλλήλοις τῷδε λόγῳ πολεμεῖν.
προίκιος ἀμφοτέροις χάρις ἔσσεται, ἀιδ' ἀπόδεκται
    Φρόντιδες ἀμφοτέροις οὐ πόνος, ἀλλὰ βίος.
ὕστερον ἀμφότερος μάλα τιμηέστατος ἔσται,
    Αχρὶ βίου πολιοὺς ὃς ἀνέθηκε νόμους.
ὧν ποτὲ σωφροσύνην εὐφημήσουσι λέγοντες,
    Ου μεῖζον θνητοῖς δῶρον ἐφημερίοις.

Τοῦ αὐτοῦ εἰς γρούχιον
Φιλόσοφον εὐσεβῆ.

Ακρα μεριμνήζων πόλλοι πάμπολλα σοφισταὶ
    Αθανάτου ψυχῆς, ὅσδε τέθηκε θεόν.
Τοῖον ἄρ' ἐν γε σοφοῖς λέγομεν μέγα κῦδος ἔχοντα,
    Ου τινὸς ἦτορ ἀεὶ Ζεὺς ἐς ὄλυμπον ἄγει.

❧ NICOLAI GRVCHII AD POSteriorem Caroli Sigonij disputationem refutatio.

QVOD ego initio eorum librorũ quos de comitiis ante annos duodecim cõscripseram, sum professus, maximam me doctis hominibus gratiam habiturum qui non modo nostra refutassent, sed etiã de hoc genere veriora in vulgus edidissent: Id ego etiã nunc adeo mihi tenendũ existimaui, vt etiã iis qui non sine meorum reprehensione veriora edere conati, dignum conatu exitum non sunt assecuti, maximas egerim ac nunc quoque agam gratias. Vt enim in omni, quæ rationum momẽtis nititur disputatione, libera hominum iudicia esse debent: ita in hoc eruendæ antiquitatis studio, quod totum in coniecturis potius quam in certa argumentorum consecutione positum est, liberrima esse non modo æquum est: sed etiam nolle in hoc genere reprehẽdi, aut à nostra sententia discedi, vel nimium præfidentis, vel nimiũ imperiosi ingenij esse iudicãdum est. Itaque ego posteriorem Caroli Sigonij disputationem tanta sum beneuolentia complexus, vt tametsi tota sit in accurationem ac vehementiorem mei reprehensionem collata, tamẽ preclari ingenij, singularis modestiæ, exquisitæ eruditionis laudem ei tribuendam esse libenter prædicem. Ac si aut veris, aut probabilioribus quam meæ sunt rationibus, mihi eius disputatio niti videretur, non

modo me ad eius ſententiam adductum palam
profeſſus eſſem, ſed etiam quã bene de me om-
nibuſque ſtudioſis litterarum meritus eſſet,lite-
rarum monumentis conſignaſſem. tantum abeſt
vt me ab eo eſſe reprehenſum moleſte ferrem.
Sed quoniam acutum hominẽ,& in antiquitatis
Romanæ cognitione imprimis verſatũ, conqui-
ſitis magna & accurata diligẽtia rationibus,nihil
video effeciſſe cur mihi à priſtina mea opinione
diſcedẽdũ eſſe videatur:eo magis perſuaſus ſum
mihi in mea ſentẽtia eſſe permanendũ.Atque vt
omnibus etiã auctor eſſem quo meã potius quã
Sigonij in hac quæ inter nos agitur quæſtione
opinionem ſequantur,propterea hanc mihi re-
futationem neceſſario ſuſcipiendam eſſe putaui:
præſertim cum Sigonij in hoc illuſtrandæ anti-
quitatis ſtudio exercitatiſsimi auctoritas,pericu-
loſo quodam præiudicio veritatem magis labe-
factaret.In quo ego ſolitam meam in ſcribendo
modeſtiã retinebo:ne in hominis optimi & ob
ſtudiorum ſocietatem ſumma mihi beneuolẽtia
ac neceſsitudine coniuncti,offenſionẽ vllo mo-
do incurram.Sic enim volo cogitet Sigonius idẽ
mihi in hac refutatione inſtitutum fuiſſe quod in
ſua diſputatione ſuſcipienda ſibi fuiſſe propoſi-
tum ſcribit: nolle me hominis de literis optime
meriti auctoritatẽ imminuere,ſed dum ſtudioſis
literarum conſulimus, præclara huius ætatis ho-
minũ ingenia excitare, ad certius aliquid de hac
noſtra haud facili quæſtione ſtatuendum. Quod
dum expectamus, diſputationẽ illius ego ita ex-

cutiã, vt ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς (inquit ille) de posteriore disputationis parte prius agã, quæ est de lege curiata, quam ad priorem deueniã, quæ est de binis comitiis. Idque eo libentius facio quòd in responsione mea ordinẽ ac dispositionem nõ semel requirere videtur: quæ tamen & non fuit tã anxie in exili opusculo postulanda, & satis accurate pro instituta illic disputatione à me est obseruata. Atque illa quidem caussa est, cur de lege curiata disputationẽ priore loco exagitem: quia & latius patet, & totam pene de binis comitiis quæstionẽ continet. Nam si omnibus qui populi suffragio creabãtur Romanis magistratibus adhibitam fuisse legem curiatã post prima quibus creabantur comitia probatum sit, simul confectũ erit, quod de binis comitiis à Cicerone scribitur, potius intelligendum esse de centuriatis & curiatis, aut de tributis & curiatis, quam de vllis aliis quæ fingi aut excogitari possunt binis comitiis. Ego autem singulos disputationis locos ad quos mihi conferenda potissimum mea refutatio visa est, numeris notaui, non modo vt perturbatæ orationis querelam Sigonio præciderẽ, sed etiam vt facilius conferri possent quæ à me dicerẽtur, cum iis quæ à Sigonio scripta sunt: cũ ea singulatim designata ac denotata conspicerentur.

I.

IDQVE EX EO LIQVERE, QVOD de tribunis quidem plebis atque ædilibus nunquam nisi potestatem dixerunt.

IMMO de tribunis plebis dixerunt latini scriptores imperiũ, Florus de seditione Tib. Gracchi loquens ita scribit. *Sic triumuir creatus diuidendis agris, cum ad perpetranda cœpta, die comitiorum prorogari sibi vellet imperium.* Et Paterculus lib. 2. *Octauióque collegæ pro bono publico stanti, imperium abrogauit.* Multiplex sane verbum est imperium. Vno modo cùm latissimè patet eius significatio, ad omnes pertinet, qui quoquo modo præsunt siue priuatim, siue publice. priuatim vt paternũ, imperium, herile imperium: publice, vt Populus Romanus, cuius summum fuisse imperium semper legitur, omninóque cum passim Romanum imperium appellatur, & omnes cuiusque generis magistratus. Sunt enim magistratus, qui publicè præsunt. Cicero de leg. lib. 3. *Videtis igitur magistratus hanc esse vim, vt præsit, præscribátque recta & vtilia & coniuncta cum legibus. vt enim ma-*

gistratibus leges, ita populo præsunt magistratus. Omnes ergo, qui populo præsunt cum quadam iubendi auctoritate, & magistratus sunt, & imperium habere dicuntur. Atque hæc iubēdi auctoritas si est legitima, tū veri sunt ac legitimi magistratus, si præter leges, aut absq; vllis legibus, tum nec veri, nec legitimi. Cicero eodem in loco paulò pòst. *Nihil porro tam aptum est ad ius conditionémque naturæ (quod cum dico legem à me dici intelligi volo) quā imperiū: sine quo nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominū vniuersum genus stare, nec rerū natura omnis, nec ipse mundus potest.* Et paulo post. *Magistratibus igitur opus est, sine quorum prudentia ac diligentia esse ciuitas non potest, quorúmque descriptione omnis reip. moderatio continetur. Neque solum ius præscribendus est imperandi, sed etiam ciuibus obtemperandi modus. Nam qui bene imperat paruerit aliquando necesse est: & qui modeste paret, videtur qui aliquando imperet dignus esse.* Et paulo post cū primam legem statuit. *Iusta imperia sunto.* Quis non videt omnium magistratuū iussa, ea lege appellari? Fuit ergo cōmunis quædam significatio imperij quæ in magistratibus illam imperandi potestatem, omnibus communem significabat. In qua significatione verum fuit minimos etiā magistratus imperium habuisse. Et vt Græcis τῶν αρχῶν καὶ τῶν ἀρχόντων nomine omnes comprehendebantur, ita latinis magistratus, hoc est qui imperandi ius, potestatémque haberent, dicuntur. in eáque significatione cum accipitur imperium, non fuit à potestate diuersum, sed idem plane fuit

magistratus imperium & magistratus potestas. Idque est quod significat Paulus I.C. ff. de verborum significatione cum scribit, potestatis verbo in persona magistratus imperium significari. Ex ea etiam imperij significatione ortum est illud genus loquẽdi, quo imperia sæpe pro magistratibus ipsis accipiũtur. Vt cũ scribit Liuius lib. 9. *Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum*. Et cũ apud Ciceronem lib. 9. ad Att. ea scribuntur, quę apud Gellium lib. 13. cap. 14. ex Messala citãtur. *Maius imperium à minore rogari non est ius*. Interdũ imperij nomine ipsum iussum magistrat', eiusq; adeo qui imperãdi ius habet, significat: ita vt imperium sit πρόσταγμα aut πρόσταξις. In qua significatione tam frequenter occurrit vt superuacaneũ sit exempla apponere. Interdum vt regnum locum significat in quo regnatur, ita imperium sępe magis locum significat quãtuscunque est cui imperatur, quàm ipsum ius ac potestatem imperandi: vt cùm Romanum imperium appellatur totus ille gentium, nationum, locorum ambitus, qui sub populi Ro. erat ditione: quod etiã apud latinos scriptores frequentissime reperitur. Est verò & alia significatio imperij, qua maior quædam iubẽdi, cogẽdi, coercendíq; potestas intelligitur: in qua significatione cũ accipitur, merito negãtur omnes magistratus imperiũ habuisse, tametsi omnes iubendi potestatem haberent. In ea significatione accipitur apud Varronem cum scribit. Magistratus aut vocationem habere vt conss. ceteróśque qui imperium habẽt. huius

vocabuli ea vis passim obseruatur apud Liuium, Salustium, Cæsarem, Ciceronem ceterósque latinos scriptores, vt in maioribus magistratibus sæpissime imperium tantum, nonnunquam imperium simul & potestatem vsurpent, in minoribus potestatem. In hac significatione Paulus in lege secunda ff. de in ius vocando, accipit imperium cum scribit. *In ius vocare non oportet, neque cōsulem, neque præfectum, neque prætorem, neque procos. neque ceteros magistratus qui imperium habent, qui & coërcere aliquem possunt & iubere in carcerem duci* Nam si imperij nomine omnes magistratus cōplecteretur, falsum diceret Paulus: quandoquidē multi minorū magistratuū ī ius vocari potuerūt vt oēs qui potestatē neq; vocationis populi viritim habebāt neq; pręhēsionis, teste Varrone apud Gell. lib. 13. ca. 13. Neq; verò ignoro apud iurisconsultos potestatis nomen interdum angustissimè accipi, vt eos modo significaret penes quos esset merum imperium. vt Vlpianus scribit. ff. in lege imperium. Interdum latissimè vt latius pateat potestatis nomen, quàm magistratus quomodo accipitur in edicto prætoris quod est in lege pr.. ff. Quod quisq; iuris. *Qui magistratū potestatemue habebit, si quid in aliquem noui iuris statuerit, ipse quandoque aduersario postulante, eodem iure vti debet si quis apud eum qui magistratum potestatémve habebit aliquid noui iuris obtinuerit.* Quia enim ad legatos etiam procōsulum qui magistratus non erant, edictum hoc pertinebat, propterea postquam magistratum dixerat subiunxit pote-

statem. Cùm enim proconsules quique merum imperium habebant ipsi Vlpiano magistratus essent, quorsum opus fuisset verbo potestatis vti, postquam magistratum dixerat? Ceterum apud historiæ & orationum aliarúmque rerum veteres scriptores Latinos, qui ætate Iurisconsultos illos præcesserunt, vix ac ne vix quidem vnquam reperies, nomen potestatis, in iis quidē qui quoquo modo reip. præessent, appellari: nisi ad significandam illam publicam iubēdi auctoritatem, quæ in magistratibus inesset, ita vt apud eos non modo sacerdotes negentur potestatem habuisse (quia procuratio sacrorum in iis verius diceretur quàm potestas) sed etiam legati qui vel in prouincias cum magistratibus, vel alio mittebantur, in nomine potestatum non comprehendantur. Argumento est lex illa Ciceronis 3. de legibus. *Imperia, potestates, legationes, cum senatus creuerit, populúsve iusserit, ex vrbe exeunto.* Nam imperiorum nomine eos intelligit qui cum imperio, in prouincias mittebantur: potestatū, alios magistratus vt quæstores, aliósve exrraordinarios magistratus qui ad aliquod negotium mittebantur: tum vero quasi aliquid ab iis diuersum, aut sub iis non comprehensum, subiicit, legationes. Et lib. 3. in verrem. *Pertinere hoc ad commodum senatorium, pertinere ad vtilitatem eorum qui iudicent, qui in prouinciis cum potestate, aut cum legatione se futuros aliquando arbitrentur.* Et lib. 4. *Neminem qui cum potestate aut legatione in prouinciā esset profectus.* Vtroque enim loco prætores quæstoréque qui

qui magiſtratus erant, nomine eorum qui cum poteſtate eſſent intelligit: adiungit vero illud cũ legatione, ob legatos qui magiſtratus nõ erant. quod ea verba indicant quę paulo poſt ſequuntur. *Poſtremo etiam in cellam magiſtratibus & legatis imperetur.* Porro autem illius imperij quod in magiſtratuum maiore illa cogendi poteſtate cerni dixi, pars fuit illud imperium ex quo imperatores cognominabantur, quod in ducendi exercitus, bellíque gerendi poteſtate poſitum erat: quod vel inde intelligi poteſt, quòd nemo vnquam illud obtinuit, quin magiſtratus eſſet (vt poſtea nos docebimus) Ac ſi quando Cicero vult verbum imperij coarctare ad ſignificandam imperatoriam poteſtatem, tum ſolet adiungere, aut exercitus, aut belli, aut militaris nomen. vt facile eſt cum multis ex locis, quos omnes citare nimis longum eſſet: tum verò ex eo quod ſcribit pro Balbo. *Quos igitur prudentiſſimos interpretes fœderum, quos peritiſſimos bellici iuris, quos diligentiſſimos in exquirendis conditionibus ciuitatum atque cauſis eſſe arbitramur? eos profecto qui iam imperia ac bella geſſerunt.* Et pro Sextio, & pro domo: *Erat Cæſar ad portas cũ imperio & exercitu.* Et pro lege Manil. *Et quoniam auctoritas multum in bellis quoque adminiſtrãdis atque imperio militari valet.* Et paulo poſt *Ego enim ſic exiſtimo Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & ceteris magnis imperatoribus nõ ſolum propter virtutem, ſed etiam propter fortunam, ſæpius imperia mandata atque exercitus eſſe.* Quod vero de imperio dixi, ex quo imperatores appellabantur, in eo

volo nomen imperatoris accipi pro omni duce exercitus, non ad eum modo coarctare qui re demum bene gesta ab exercitu honoris caussa imperator esset appellatus. Est enim ex latinorum scriptorum lectione perspicuum, duobus modis accipi nomen imperatoris, vno modo vt muneris nomen esset, alio vt titulus honoris. Illo modo, latissime patebat, omnibusque qui exercitus duces essent conueniebat: hoc modo, illi tantum imperatoris nomen sibi vendicabāt qui re bene gesta ab exercitu ita appellati erant. Itaque qui in prouincias cum exercitu missi erant, cum vel publice vel priuatim scribebant, nomen magistratus tantum adscribebant, vt se vel procoss. vel propræto appellarent, nisi postquam ab exercitu ob rem bene gestam imperatores appellati erant. Tum enim in literis præter nomen magistratus adscribebāt, Imperator. hoc modo Cicero procos. Imper. Hæc latius paulo de imperij ac potestatis vocabulis ob id disputaui: primum quia mihi magno vsui futura sunt ad ea quę post à me aduersus Sigonium disputabuntur. Deinde quia antiquitatis quadam illustratione præstat nostram disputationem esse refertam, quàm nudis & ab omni lectorum vtilitate vacuis disputationis aculeis scatere. Postremo ne ob verborum ambiguitatem in eorū fortè incurreremus reprehensionem, qui de horum verborum significatione, nos aliter sentire existimarent, quàm à probatissimis auctoribus scriptum sit.

2.

Et Liuius in ſecundo, tribunum pl. priuatum eſſe, ſine imperio, ac ſine magiſtratu, prodidit.

QVÆ tu citas ex Liuio Sigoni, verba ſunt Appij conſulis aduerſus Lectoriũ tribunum plebis in atroci inter eos contentione prolata. Multa vero in huiuſmodi altercationibus καθ' ὑπερβολὴν dicuntur quæ aut plane falſa ſunt, aut quadam ex parte vera eſſe ſatis eſt. Tribunus plebis vt paulo ante hunc, quem citas, locum dixerat Appius, non populi, ſed plebis tantum magiſtratus erat. Ac ſi primam tribunatus inſtitutionem ſpectes, potius ad aliorum magiſtratuũ imperia cohibenda inſtitutus videbatur, quàm ad imperandum, vt Dionyſius, Gellius, & Plutarchus docẽt. Hac ergo ex parte ſatis eſt vera eſſe quæ dicit Appius, ſine imperio ſine magiſtratu eſſe tribunũ. At omni ex parte & ſimpliciter vera eſſe nõ neceſſe eſt. Sophiſma eſt Sigoni ea quæ καθ' ὑπερβολὴν aut κατὰ σύγκρισιν dicuntur, ita accipere, quaſi omnino vera eſſe oporteat. Eſt enim hoc ἐκ τοῦ κατὰ τι τὸ ἁπλῶς συλλογίζεσθαι.

3.

Addo autem poteſtatẽ in auſpicio & iudicio poſitam fuiſſe. vnde ſanxit noſter ille idẽ in legibus, magiſtratus omnes iudicium & auſpicium habento. Et paulo poſt, cum dico iudicium, intelligo poteſtatem decretum interponendi & iuris dicendi.

MVLTA hic sunt in quibus mihi Sigonius falli videtur. Primum quod potestatem in auspicio & iudicio positam fuisse dicit. Fuit enim magistratuum potestas in publica illa iubendi auctoritate potius posita, atque adeo in eo quod publicè imperare possent, quam in iis rebus quæ accessiones potestatis fuerunt, atque ornamenta potius, quam quod magistratus essentia in iis consisteret. Deinde quod parum se memorem eorum quæ modo dixerat ostendit. Tribunum plebis modo dixerat magistratum non esse, nūc potestatem magistratus, iudicio & auspicio definit, quorum vtrunque etiam tribunis, illa quā dat interpretatione, conuenit. obnunciādi enim atque adeo de cœlo seruandi, itémque decretū interponendi ac iuris dicendi potestatem tribuni habuerunt. Sane quia Cicero in numero magistratuum in superioribus legibus, tribunos plebis posuerat, non dubium est, quin hanc legem ad eos etiam pertinere voluerit. Sed in hoc longè fallitur Sigonius quòd existimat quas Cicero leges ponit, eas omni ex parte legibus Romanis esse accommodatas. Suę enim quam sibi fingebat reip. leges tradit, non Romanas leges recenset. vt facile est cum ex multis videre, tum ex eo quod de censoribus iubet: cum eos toto quinquennio vult imperium habere. Postremò in eo quoque mihi grauiter peccare videtur, quod iudicium illo loco interpretatur, potestatē decreti interponendi ac iuris dicendi. vt enim doctis-

ſimo viro Io. Bodino cæteriſque Iuriſconſultis hanc tecum dirimendam cõtrouerſiam relinquã, verúmne fuerit omnes Romanos magiſtratus, decreti interponendi, iuriſque dicendi poteſtatem habuiſſe: non eſt profecto eo loco ita accipiendum iudicij nomen. ſed iudicium illo loco ſignificat, poteſtatem exercendi apud populum iudicij, diſceptatore ac iudice populo damnandi, pro ea quam quiſque magiſtratus haberet poteſtate. Habuerunt enim omnes Romani magiſtratus eam cum populo agendi rémque apud populum faciendi poteſtatem, quam nemo priuatus habebat. Idcirco in hiſtoria quæſtores, ædiles tam curules quam plebei frequenter repeꝛiuntur, multos ad populum & vocaſſe & damnaſſe. Sed quoniam multos etiam alios video ad hunc ſcopulum naufragium feciſſe, magis mihi elaborandum eſt, vt me adhuc ſolum inde ſaluũ euaſiſſe demonſtrem. Ego vero non aliunde quã ex ipſo Cicerone, veram ac germanam huius loci interpretationem ſumam. Cicero recitatis ſuis legibus, legum à ſe poſitarum cum rationes cauſáſque ſubiicit, ita de hac lege ſcribit. *Deinceps igitur omnibus magiſtratibus auſpicia & iudicia dantur. Iudicia, vt eſſet populi poteſtas ad quam prouocaretur.* Ex iis verbis dico, neceſſario colligi, nomine iudiciorum illo loco ſignificari illas quas dixi ad populum vocationes. Dicit enim magiſtratibus data in lege ob id, iudicia vt per illa iudicia oſtenderetur ſtatueretúrque ſumma illa populi poteſtas quæ in prouocatione poſita erat. Hoc

vero ius ad populi vocationis,omnes ac ſoli magiſtratus habebant. Poſtremò parum mihi ſibi conſtare videtur Sigonius quòd cum tam prouincialibus quam vrbanis magiſtratibus poteſtatem tribuerit, ex eóque neceſſariò ſequatur prouinciales etiam magiſtratus & auſpicia & iudicium habuiſſe, per hanc Ciceronis legem quã omni tribuit poteſtati:ipſe tamẽ permultis prouincialibus magiſtratibus auſpicia:nõnullis etiã iudicium,hoc eſt iuris dicendi poteſtatem adimit. Sed hoc poſtea accuratius examinabimus.

4.

Alterum vero imperium nempe rei militaris attingẽdæ poteſtatem,neminem horum ſine ſenatuſconſultõ, ac lege adminiſtrare non ſolum in vrbe ſed neque in prouincia potuiſſe affirmo, quæ lex quia curiatis comitiis lata ſit,curiata eſt appellata.

MVLTA ſunt quæ hic mihi videntur reprehenſione digna.Primùm quod hanc rei militaris poteſtatem, alterum facit imperium,ab imperio magiſtratus diuerſum: cũ fuerit aut imperij in quibuſdam magiſtratibus pars, aut totus ipſe magiſtratus in aliis : deinde quod ſine S.C.ac lege curiata nullum magiſtratum dicit hoc imperium militare habuiſſe neque in vrbe neque in prouincia. Nam ſiue S. C. accipiat Sigonius pro nobili illo S.C.vt viderẽt magiſtratus nequid detrimẽti reſp.caperet, ſiue pro alio quouis ordinario ſenatus decreto, effugere non poteſt quin aut falſum dicat aut ſibi ip-

ſe repugnet. Nam nulli magiſtratui licuiſſe rem militarem attingere abſque illo nobili S. C. aut lege curiata plane falſum eſt: nulli autem omnino licuiſſe abſque S. C. ac lege curiata rem militarem attingere, omnino repugnat ei quod ipſe ſentit, conſulē ſolo illo nobili S. C. armatū abſq; lege curiata rē militarē gerere potuiſſe. Sed dicet fortaſſe in ſuis verbis cōiunctionem pro diſiunctione ſumēdā eſſe, vt intelligatur ſine S. C. ac lege pro eo quod eſt ſine S. C. aut lege. Itaque hac omiſſa reprehēſione, ad prius illud amplius ſtudioſiúſque refutandum, meámque de ea re confirmandam ſententiam venire præſtat. Eſt enim id in quo propemodū tota noſtræ cōtrouerſiæ ſumma conſiſtit, vt rei militaris imperiū doceatur pars fuiſſe imperij magiſtratus, aut vero in ipſo magiſtratus imperio inſitum, non autem acceſsionem eius quandam, quaſi aliquid ab eo diuerſum. In quo docēdo ſi lōgior ſim, meus haud facilis conatus inueteratæ & iam dudum multorum doctorum hominum conſenſu receptæ opinionis tollendæ ac funditus euertendæ, aut culpam feret, aut veniam promerebitur. Ego igitur primùm docebo omnes qui leguntur paſſim in hiſtoriis cum imperio fuiſſe, aut miſsi cū imperio, aut imperium in prouincia obtinuiſſe, aut in imperio fuiſſe, non modo eſſe magiſtratus hoc ipſo quod cum imperio fuiſſe dicerentur, ſed etiam ita appellatos fuiſſe. Deinde ſingulatim oſtendam conſules dictatores ac prætores in ſuo magiſtratu inſitam habuiſſe illam rei mili-

taris administrandæ potestatem. Ex quibus conuincam verbi imperij vnam semper notionem vnamque significationem in omnibns huiusmodi locutionibus esse dicendam, cum imperio esse, vel missum esse, vel in imperio esse, imperium datum mandatum prorogatũ esse, imperij insignia, pro imperio aliquid agere: nempe vt nihil intelligatur aliud quàm vehementior illa imperandi potestas, qua vti in gerẽdo publico negotio sibi publicè commisso, quisque poterat. Ac primùm magistratus definitio quantumuis repugnantem conuincere potest, omnes fuisse magistratus qui cum imperio fuisse leguntur. Cicero Aristotelẽ secutus in lib. 4. polit. magistratus definit eos quibus data esset publicè consulendi iudicandi atque iubẽdi, imprimísque ac maximè iubendi, potestas. Atqui dicere quẽquam vnquã cũ imperio missum cui non esset potestas in negotio publico imperãdi, summæ peruicaciæ aut potius summæ impudentiæ esset: Omnes ergo hi fuerunt magistratus. Sed quoniam mauult, in hac antiquitatis peruestigatione auctoritatibus agi Sigonius, quàm rationibus, agedum testes citemus. Esse inter se contraria hæc duo, priuatũ esse, & in magistratu esse, nemo negare audeat. Si ergo ex veterum scriptorum auctoritate docuero hæc duo in imperio aut cum imperio esse ac priuatum esse, pro cõtrariis vsurpari, hoc profecto a me quoque demõstratum erit, aut idem fuisse in magistratu esse, & cum imperio esse, aut certe hoc in illo ita contineri, vt quicunque

in imperio eſſet magiſtratus eſſet, tametſi nō cōtra neceſſe eſſet quicunque in magiſtratu eſſet, cum imperio fuiſſe. Liuius ſtatim initio lib. 2. *Penes Collatinū imperiū eſſe. Neſcire Tarquinios priuatos viuere*. Et paulo poſt. *Regium genus, regiū nomen, non ſolum in ciuitate ſed etiam in imperio eſſe.* In iis verbis quis non videt hæc inter ſe opponi priuatum viuere & in imperio eſſe? Idem Liuius lib. 10. decad. 3. ſcribit. *Circumactū anni tempus & nullo prorogāte imperium. priuatus T. Claudius claſſem Romā reduxit.* Ex eo loco perſpicuum eſt cui prorogatum fuerat imperium, poſt circumactum annui magiſtratus tempus, non fuiſſe priuatum. Hic enim T. Claudius qui cos. ſuperiore anno fuerat, propterea priuatus dicitur reduxiſſe claſſē quia non erat ei prorogatum imperium. Et lib 2. decad. 4. *Sub idem tempus L. Manlius Acidinus, ex Hiſpania decedens, prohibitus à M. Porcio Lacca. trib. pleb. ne ouans iniret, cum ab ſenat. impetraſſet priuatus vrbem ingrediens*. Quia hic Manlius obtinere nō potuit vt lex perferretur, vt ei quo die ouans vrbem iniret in imperio eſſe liceret, propterea dicit Liuius eum priuatū vrbem ingreſſum. Quòd ſi priuatus dicatur quia non licuit ei eſſe cū imperio, perſpicuum eſt hæc inter ſe eſſe contraria cum imperio eſſe & priuatum eſſe. Idem Liuius lib. 4. dec. 4. loquens de duabus coloniis quæ ductæ ſunt in Brutios & in agrum Thurinū ita ſcribit. *His deducēdis triumuiri creati quibus in trienniū imperium eſſet*. Quid quæſo hic aliud ſignificat in triennium imperium obtinere, quam quod eiuſ-

dem decad. lib. 2 dixerat cum de aliis triumuiris loqueretur *Triumuiri deducendis iis, qui per trienniũ magistratum haberent, creati.* Quod enim vno in loco dixerat in triennium magistratum habere, dixit in alio, idem plane vt perspicuum est significare volens, in triẽnium imperium obtinere. Idẽ lib. 3. deca. 4. *Auctoritas seniorum valuit, negantium exemplum proditum memoriæ esse, vt imperator qui perduellibus deuictis, confecta prouincia, exercitum reportasset, sine curru & laurea priuatus inhonoratúsque vrbem iniret.* Quis non videt priuatum hic ei opponi qui cum imperio esset, more omnium triumphantium? Idem Liuius libr. 5. dec. 5. de Pauli Æmilij triumpho ita inducit loquentem M. Seruilium. *Seruius inquit Sulpicius non triũphum impedire debuit, sed postero die quàm triumphatum est, priuatum cum visurus esset, nomẽ deferret.* Paulo ante Liuius dixerat actum esse cum tribunis plebis de ferenda rogatione, vt iis de quorum triumpho agebatur, quo die vrbem triumphantes ingrederentur, imperium esset. Vnde perspicuum est priuatum esse & cum imperio esse contraria esse. In eadem illa oratione paulo post. *Lucius Paulus priuatus tanquam rure rediens à porta domum ibit?* hic rursum priuatum opponit ei qui cum imperio esset. Cicero in prima epistola ad Lentulum. *Crassus tres legatos decernit, nec excludit Pompeium. cẽset enim etiam ex iis qui cum imperio sunt. Bibulus tres legatos ex iis qui priuati sunt.* Hoc fuit discriminis inter Bibuli & Crassi sententiã quod ille tres quidẽ legatos, sed eos ex priuatis tantũ decernebat.

Hic tres etiam legatos, sed eos qui cum imper'o essent non excludebat. Ex quo efficitur neminē qui cum imperio esset priuatum fuisse. Idem lib. 3. in verrem. *Non hoc nunc audit priuatus de inimico, reus ab accusatore. Iam antea in sella sedens prætor cum prouinciam siciliam obtineret, cum ab omnibus non solum id quod cōmune est propter imperium, sed etiam id quod istius præcipuum est propter crudelitatē metueretur milies audiuit.* Eo in loco nō modo priuatum opponit ei qui in prouincia imperiū obtineret, sed etiā aperte negat Verrem proprætorem fuisse priuatum. Et lib. 5. *Verum esto, sit tibi illud liberū omne tempus quo cum imperio fuisti: etiā ne priuatus? etiam ne reus? etiam pene damnatus, hostium duces priuata in domo retinuisti?* Et pro lege Manilia. *Quod si Romæ Cn. Pompeius priuatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque mittendus.* Negat priuatum esse Pompeium qui tum procōsul bellum piraticum gerebat. Et pro Sextio. *Ex quibus vnum habere exercitum in Italia maximum, duo qui priuati tum essent.* De tribus loquitur Cæsare, Pompeio, & Crasso: hos duos dicit priuatos: illū in priuatis non numerat, quia procos exercitum haberet quem in Galliā ducturus erat. Eum vero paulo post cum imperio fuisse scribit. Idem pro Sextio. *De me vno patres conscripti decreuerūt vt qui prouincias cum imperio obtinerēt: qui quæstores legatique essent salutem & vitam custodirent.* De eodem illo S.C. loquens in Pisonem ita scribit. *Me idem senatus exteris nationibus me legatis magistratibúsque nostris commēdauit.* Quid quæso apertius

tius est quam magistratuũ nomine hic appellari quos illic cum imperio prouincias obtinere aut quęstores esse dixerat? Suetonius in Cæsare. *Sed cum edictis iam comitiis ratio eius haberi non posset, nisi priuatus introisset vrbem.* Hic manifesto priuatũ opponit ei qui ad vrbem cũ imperio erat, triumphum expectans. Idẽ Suetonius paulo post. *Cum M. Cato denunciaret delaturum se nomen eius simul ac primum exercitum dimisisset, cúmque vulgo fore prædicaret vt si priuatus rediisset, Milonis exẽplo circũpositis armatis caussam apud iudices diceret.* Hic rursum pri uatũ opponit ei qui exercitum haberet. sed quoniam eosqui in prouinciis cum imperio fuerunt, non modo fuisse magistratus me demonstraturum receperam, sed etiam ita fuisse appellatos à Latinis scriptorib⁹, citabo aliquot locos ex quibus id erit apertissimum. Cicero lib. 2. In Verrem de iis loquẽs qui cum imperio in Siciliã mitti solebant. *Magistratuũ autẽ nostrorum iniurias ita multorum tulerunt.* In eodem lib. paulo post. *Quid est turpius ingenuo, quid minus libero dignũ quã in cõuẽtu maximo cogi à magistratu furtum reddere?* Quod à Verrè proprætore factum erat, id à magistratu factũ fuisse dicit. Et paulo post de iis loquẽs quę à successore Verris Metello facta erãt cõtra Verris acta. *Si tibi magistratum abrogasset, minore ignominia te affecisset, quã cum ea quæ in magistratu gessisti sustulit.* Paulo post. *Nisi forte id agimus non vt magistratibus nostris morẽ accipiẽdi, sed vt sociis caussam dandi auferre videamur.* Continuo post hæc verba. *Rogant & orant Siculi patres conscriptos, vt*

nostri magistratus post hac decumas lege Hieronica vẽdant. Itẽ. *Taurominitani qui maximè ab iniuriis nostrorum magistrorum remotissimi consueuerant esse.* Et lib. 3. *Sunt homines Siculi non contemnendi si per nostros magistratus liceat.* Et paulo post. *Antea cum equester ordo iudicaret, improbi & rapaces magistratus in prouinciis inseruiebant publicanis.* Et paulo post. *In hac tam misera & iniqua conditione vitæ, ne hoc quidẽ retinebimus, vt magistratibus nostris in obtinendo iure nostro ne contẽptissimi esse videamur?* Et paulo post. *Si quemadmodum socij populi Romani à magistratibus nostris tractentur.* Paulo post. *Cum senatus publicanos vsura sæpe iuuisset, magistratus à publicanis pecuniam pro vsuris auderet auferre?* Paulo post de cerario à Verre primũ inducto. *Quomodo hoc nomen ad rationes magistratus, quomodo ad pecuniã publicã allatũ est?-Ex huiusmodi prĩcipio atq; ex liberalitate, atq; accõmodatione magistratuũ, cõsuetudo æstimationis introducta est.-Quod videtur concedendũ magistratibus nostris esse, vt iis quo loco velint frumẽtũ accipere liceat.-Hoc enim magistratus in prouincia assequi potest, vt ibi accipiat vbi est carissimum -Neque enim est fere quicquam quod homines palam facere audeant in magistratu, quamuis improbi, quin eius facti rationem afferre soleant.-Placet ne vobis in cellam magistratibus nostris frumentũ Siculos gratis dare-Ne posthac tantas pecunias magistratibus nostris decerneremus-Populo Romano ferat potius, quam nostris magistratibus-Magistratibus tãtumdem detur in cellam quantum semper datũ est-Placet ita geri magistratus vt geruntur?-Postremo etiã in cellam magistratibus &*

legatis imperetur. Et li.4. *Licuit posse domesticis copiis cũ magistratũ aut aliquẽ superiorẽ inuitasset, ornare & apparare conuiuium.* Et lib.5. *Neque moleste ferebant abesse à foro magistratum, non ius dici- Ne mæror parẽtum ac propinquorum magistratibus nostris quæstui posset esse- Parúmue multa mercatoribus necessario pericula subeunda fortunæ, nisi etiam hæ formidines à magistratibus nostris impendebunt?- hac vna tamen fiducia ciuitatis non modo apud nostros magistratus.* Et pro lege Manilia. *Difficile est dictu quirites quanto in odio simus apud exteras nationes propter eorũ quos ad eas hoc anno cum imperio misimus iniurias ac libidines. quod enim fanum putatis in illis terris nostris magistratibus religiosum.* Eo in loco magistratus perspicue appellat eos quos dixerat in prouincias cũ imperio missos fuisse & pro Flacco. *Verum esto negotiari libet: cur non Pergæ, Smyrnæ, Trallibus, vbi & multi ciues Romani sunt & ius à nostro magistratu dicitur.* Et paulo post. *Mitto etiam quod à nostris magistratibus in integrum restituta.* Idem Cicero in illa ad Quint. fratrem lõga & nobili epistola. *Et quoniam mihi casus vrbanam in magistratibus administrationem reip. tibi prouincialem dedit.* Quo in loco Cicero magistratuum nomine appellat non minus eos qui prouincialem administrationem haberent, quàm qui vrbanam. Ac ne existimes Ciceronem modo, oratorie magis quàm ad veritatem vt scribit Sigonius, nomine magistratuum eos appellasse: citabo etiam historicos imprimísque T. Liuium. Is ita scribit lib.3. dec.5. de S. C. loquens quod in Græciã missum

est, per legatos C. Popiliũ & Cn. Octauium. *Ne quis vllam rem in bellum magistratibus Romanis conferret præterquam quod Senatus censuisset*. Cui dubiũ est quin nomine magistratuum omnes comprehẽdat qui cum imperio prouincias obtinerent? Item Liuius eodem in libro. *Ita præteritis silentio obliteratis, in futurum consultum ab senatu Hispanis, quod impetrarunt ne frumenti æstimationẽ magistratus Romanus haberet*. Nónne planum est hoc S.C. ad omnes qui cum imperio Hispaniam obtinebant pertinuisse? Et paulo ante de Hispanorũ legatis loquẽs. *Ii de magistratuũ Romanorũ auaritia conquesti*. Et initio lib. 2. decad. 5. *Ideo magistratus mulis, tabernaculisque, & omni alio instrumento militari ornabantur*. Et aliquanto post. *Aliam impensam socij in magistratus Romanos non faciebant*. Certe vt ad omnes qui cum imperio proficiscerentur hæc pertinebant, ita non veretur Liuius omnes appellare magistratus. Item Salustius in Iugurtha de iis loquens qui illa ætate in Africam cum imperio mittebantur. *Igitur bello iugurthino pleráque ex punicis oppida, & fines Carthaginensium quos nouissime habuerant, populus Romanus per magistratus administrabat*. Ex iis est perspicuum non modo procos. & proprętores fuisse magistratus vt etiam Vlpianus affirmat ff. de iurisdictione in lege Eum qui. *Magistratus autem is est qui in potestate aliqua sit, vt puta proconsul vel prætor vel alij qui prouincias regũt*. Sed etiã neminẽ fuisse qui cũ imperio esse diceretur, quin magistratus esset. Sed quoniã horum imperiũ intramuranũ (vt lo-

quitur Asconius) nullũ erat, ita vt statim vrbem ingreßi priuati essent, propterea fit vt in procõsulum & proprętorum triumphis, lex de eorum imperio ferenda esset. erat autem de eorum imperio legem ferre aliud nihil, quàm lege lata efficere, vt ne priuati essent eo die quo triumphãtes vrbem inirent. vnde illud Vlpiani in lege vltima ff. de officio procons. & legati. *Proconsul portam Romæ ingressus deponit imperium.* Hinc illud Liuij li. 26. de Q. Fuluio procos. *Cui ne minueretur imperium si in vrbem venisset, decreuit senatus vt Q. Fuluio par cum coss. imperiũ esset.* Qui vero triũphabant in cõsulatu, aut prætura, de eorum imperio lex illa non ferebatur. Cum ergo apud Liuium, Valerium max. aliós ve scriptores legimus, propterea negatum fuisse triumphum Scipioni procos. quia sine magistratu res gesßisset, ita sumendum est nomen magistratus, vt ad eos modo pertineat, qui in vrbe imperium obtinebant, quique velut primarium magistratum gerebant: non etiam ad eos qui primarij magistratus vices gererent, cuius generis hi erant: Ideóque non consules, sed procons. non prętores sed proprætores vocabantur, quasi qui consulum prætorúmque vicem gererent. Nam quod Sigonius ex Ciceronis lib. 3. de legibus adfert. *Magistratus omnes iudicium & auspicium habento.* Id vero parũ valet ad id probandum quod instituerat. Primũ quod iis magistratibus quorum vrbana esset administratio eam legem, non etiam prouincialibus, ponit: vt caussa legis ponendę quam ipse ad-

fert, satis indicat. propterea enim se dicit omnibus magistratibus, dare auspicia, vt essent probabiles moræ impediendorum comitiorum per auspiciorum obnúciationẽ. deinde certũ est Ciceronem legibus instituere eam quam sibi ipse finxerat rempub. non autem leges tradere, quæ in rep. Romana obseruarẽtur. Longe ergo multúmque errat qui omnes leges Ciceronis ita ad Romanã remp. referre conatur, quasi omnia quę ab eo tradũtur, in ea rep. recepta essent. Vult ergo Cicero suæ reip. omnes magistratus auspicia habere: at nõ dicit omnes Romanos magistratus auspicia habuisse. Quod vero ex Ciceronis secũdo de diuinatione adfert, vbi scribit procoss. & proprętores auspicia nõ habuisse, id vero nõ ad ius auspiciorum pertinet, sed ad vsum tantũ: hoc est non negat Cicero his verbis procoss. & propræt. ius auspiciorũ habuisse, sed neglectu religionis, desiisse auspicia obseruare. Nã si ꝓcõsulũ & proprætorum nomine etiam eos comprehẽdamus quibus ex cõsulatu & pretura prorogatum erat imperium, non dubium est quin, quo quidem tempore erant religionis auspiciorum obseruantes Romani imperatores, quos secum duxerant pullarios, tandiu secũ retinerent, quãdiu in imperio erant. ex quo perspicuum est aut id frustra fuisse, aut idem ius auspiciorum retinuisse. Sin procõsulum ac proprętorum nomine dicamus eos modo Ciceronẽ intellexisse, quibus priuatis datum erat imperiũ (quod tamen haud verisimile esse vel hinc intelligi potest quod ita

Cicero nõ, quod docere vult, magnũ illic ostẽderet religionis neglectum, siquidem huiusmodi procos. & propræt. nõ nisi extra ordinẽ raróque fierẽt) eos ꝑfecto si demõstrauero olim vsos fuisse auspiciis, relinquetur quod dicit Cicero illos non habuisse auspicia, ad posteriorũ tẽporũ cõtemptum auspiciorum, quibus ne consules quidem in bellis administrandis tum vtebantur, referendum esse. T. Liuius lib. 6. decad. 3. In prima illa contione quam habuit Scipio procos. Hispaniæ ad suos milites, ita loquentem ipsum inducit. *Nunc dij immortales imperij Romani præsides, qui centuriis omnibus vt mihi imperium iuberent dari fuere auctores, iidem auguriis auspiciisque & per nocturnos etiã visus læta ac prospera portẽdut.* Quid? his verbis non satis significat Scipio se deorum voluntatem auguriis auspiciisque captasse? idem Liuius lib. 8. dec. 3. sic suos milites qui seditionem mouerant alloquentem inducit. *An milites appellẽ? qui imperiũ auspiciúmque abnuistis, sacramenti religionem rupistis.* Et paulo post. *Quin mihi ne hodie quidẽ scire videmini, quid in deos sacramẽti testes, quid aduersus auspicia sub quibus militastis, ausi sitis.* His certe verbis indicat sua fuisse Scipioni procos. auspicia. Atque inde profecto natum est illud apud Latinos scriptores vulgatissimũ dicẽdi gen', cũ de imperatorib' loquẽtes, dicũt ductu auspicióq; alicuius gesta esse aliqua: quia scilicet primi illi duces exercitus, nihil nisi auspicato facerẽt: quod tamen per κατάχρησιν postea cæpit ad eos transferri etiam qui auspicia negligerent.

Quod in dictatorum, consulum, & prætorum magistratu esset insita potestas administrandæ rei militaris: Ita vt hanc potestatem omnes haberent iure sui magistratus.

CONSVLIBVS regiam fuisse potestatẽ omnes historici fatẽtur. neque Valeriis legibus aliud quicquã adẽptum est ex regia potestate, q̃ quod dẽptis securib⁹ fasces præferebãtur, & ab iis prouocatio esset ad populũ, quandiu intra pomœrũ erant. Dico autem intra pomœrium, quia etiam in campo Martio qui suburbanus erat, summum illud ius vitæ ac necis habebant. Id quod ex Liuio doceri potest cũ ita scribit lib. 4. dec. 3. *Cum T. Octacilius襲 ferociter eum cõtinuare consulatum velle vociferaretur, atque obstreperet, Lictores ad eum accedere consul iussit & quia in vrbem non ierat, protinus in campum ex itinere profectus, admonuit cum securibus sibi fasces præferri.* Vltimo supplicio animaduertendi sibi potestatem esse significat Fab. cos. cum admonet sibi cum securib⁹ fasces præferri. Liuius certe lib. 3. dec. pr. scribit nõ fuisse prouocationi locum longius ab vrbe mille passuum. Si ergo in regio imperio insita erat belli gerẽdi potestas, nec verum est huiusmodi imperium regibus aduẽtitium fuisse, relinquitur in omniũ etiam consulum magistratu id adeo insitũ fuisse, vt verum fuerit consulis hoc ipso quod consules essent hanc rei bellicæ administrandæ potestatem habuisse. hoc vero Cicero tertio de legib⁹

aperte demonstrat cum de coss. ita scribit, *Regio imperio duo sunto: iique praeundo, iudicādo, cōsulendo, pratores iudices consules appellantor. Militiæ summū ius habento.* Quis consulum proprium munus illic à Cicerone describi nō videt? quomodo ergo ius illud militiæ aduentitium consulibus fuisse dici aut cogitari potest? Quid? nomen prætoris quod his proprium fuisse scribūt & Liuius & Cicero, nónne satis argumento est ius belli gerēdi ad eos pro iure sui magistratus pertinuisse? siquidem ea erat apud veteres, auctorib⁹ Asconio Varrone, & Sex. Pompeio, propria prætoris significatio vt eum significaret cui pareret exercitus. Quid quod Cicero pro L. Murena scribit ob id suffragationem militarem plurimum valuisse in consule declarando, quod imperatores comitiis consularibus deligerentur? quod item frequēs est apud Liuium, tum belli duces deligi, cū coss. deligebantur. Et Salustius in coniuratione Catilinæ de coss. loquens. *Post vbi regium imperiū, quod initio conseruandæ libertatis, atque augendæ reip. fuerat in superbiam dominationémque se conuertit, immutato more, annua imperia binos imperatores sibi fecere?* Quid quod Polybius lib. 6. cum describit coss. officiū toties eis tribuit. σχεδὸν αὐτοκράτορα ἐξουσίαν τῆς περὶ πολέμου κατασκευῆς? Quid quod idem ipse cum rationem habendi dilectus per consules, tribunorum militarium ministerio, describit, hæc verba adiungit? ἐπὰν δὲ μέλλωσι ποιεῖσθαι τὴν καταγραφὴν τῶν στρατιωτῶν οἱ τὰς ὑπάτους ἔχοντες ἀρχὰς, προλέγουσι ἐν τῷ δήμῳ τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ δεήσει παραγενέσθαι τοὺς ἐν ταῖς ἡλικίαις

ῥωμαίους ἅπαντας. ποιοῦσι δὲ τοῦτο καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν hoc inquit singulis annis faciūt, vt edicto omnes iuniores euocent ad habendum dilectum. Qui sane locus non modo ad id probandum valet quod hic est propositum, propriam scilicet muneris consularis fuisse rei militaris administrationem: sed etiam legem curiatam qua imperium militare magistratibus datum fuisse vult Sigonius, fuisse omnibus singulorum annorum cōsulibus necessariam. Iam vero si consulibus aduentitiū fuit imperium militare, ac nō in ipso magistratu insitum, quid quæso tum relictum est consulibus quod sui magistratus propriū esset, cum prætor creatus est? nam creato prætore iurisdictio quæ consulum fuerat, ad prætorem est translata: hac vero detracta si etiam militare imperium non fuisse ἰδιῶδες consularis muneris dicatur, nihil plane reliquum fit quod proprie ac pro iure sui magistratus ei conueniret. Sed quid rationibus opus est, quando diserte Liuius scribit lib. 10. de L. Posthumio cos. cum M. Attilio, *Non ita inquit patres conscripti vestræ maiestatis meminero vt me cōsulem esse obliuiscar. Eodem iure imperij quo bella gessi bellis feliciter gestis triumphabo.* Non hic diserte affirmat consularis imperij iure se bella gessisse? Et lib. 4. dec. 3. In contione Fabij Maximi cos. his verbis munus consulum describit. *Hodie Consules creatis quibus sacramenta liberi nostri dicant, ad quorum edictum conueniant, sub quorum tutela atque cura militent.* Quod si, vti demonstrauimus, in consulum magistratu insitum fuit militare

imperiū, multo profectò magis id verū fuit in dictatoribus vt qui domi bellique summum imperium, pro iure sui magistratus, habuisse dicantur. Neque vero spectandū est cuius rei caussa creatus esset dictator, vt quæ esset huius magistratus essentia intelligatur, sed quacunq; de caussa creati essent dictatores, omnes pariter dictatores fuerunt: atque adeo, quod ad dictaturæ ius attinet, pari omnes potestate. Itaque qui rei gerēdæ caussa creat⁹ erat, nō magis erat dictator quā qui vel claui figēdi, vel ludorum caussa creatus erat. Nam si in constituenda huius magistratus essentia, caussæ essent spectandæ, primum tot magistratus eo modo constituerentur quot caussæ reperiuntur apud Romanos scriptores creandi dictatoris fuisse: nec verum erit vnam quandam magistratus speciem fuisse, dictatorē. deinde qui rei gerendæ caussa creatus erat, is tibi Sigoni dicendus erit non modo pro iure sui magistratus imperium militare obtinuisse, sed etiā aliud nihil eius magistratum fuisse, quam belli gerendi potestatem. Quomodo ergo hic tu imperium à magistratu separabis? quomodo verum erit à consule, à quo dictus erat magistratum accepisse, lege vero curiata imperiū militare? Quid enim? qui rei gerendæ caussa dictus erat, nónne belli gerēdi caussa dictus erat? de eo ergo, cū lex curiata lata erat, nihil quod ad ius magistrat⁹ attinet, ei quod non habuisset per legem accedebat. Postremo ex historiæ lectione perspicimus multos dictatores aliam publici negotij partē gessisse,

quam cuius caussa creati erant. vt apud Liuium libro tertio primæ decadis L. Quinctius Cincinatus, qui rei aduersus Latinos gerendæ caussa creatus erat, iudicio præest M. Volscij falsi testis quod seditiosè à Tribunis plebis impediebatur. Et libro quarto. Mamerc⁹ Æmilius qui belli hetrusci gerēdi caussa creatus erat, legibus ad rempublicam constituendam ferendis occupatur. Et libro sexto M. Furius Camillus seditionis sedandæ caussa creatus, minatur si pergerent Tribuni pleb. non cedere collegarum intercessioni, sacramento omnes iuniores adacturum, exercitum extemplo ex vrbe deducturum. quib⁹ haud dubie verbis aperte ostēdit ei dictatori, qui seditionis sedandæ caussa dictus esset, ius fuisse exercitus extra vrbē quo vellet ducendi. Ex quo consequens est, non eum tantum dictatorem qui rei gerendæ caussa creatus esset imperium militare habuisse, sed eos etiam qui alia de caussa dicti erant. Et libro septimo L. Manlius imperiosus claui figendi caussa dictator dictus, bellum hernicum affectans, dilectu acerbo iuuentutem agitauit. Et lib. 10. decad. 3. P. Sulpicius creatus dictator ad reuocandum pro iure maioris imperij cos. Cn. Seruiliū, in Italiam, reliquum anni, cum M. Seruilio magistro equitum, circumeundis in Italia vrbibus quæ bellis alienatę fuerant, noscēdisque singularum caussis, consumpsit. Si ergo dictatores pro iure sui magistratus aliam publici negotij partem administrare potuerunt, quàm cuius caussa creati reperiuntur, perspicuum est

caussam creationis non ius magistratus facere: sed cum idem esset semper eiusdem magistratus ius, aliæ atque aliæ esse potuerunt caussæ cur iudicaretur reip. necessarius magistratus. Nam si ex gesto in magistratu negotio, ius magistratus ita iudicare velimus, vt hoc ei demum ius fuisse dicamus, quod reipsa gessit, profecto multos cõsules negabimus ius habuisse vocãdi senatus, leges ferendi, legatos exterarum gentium in senatum introducendi: quandoquidem multi reperiuntur qui nihil horum toto suo consulatu egerunt. vt qui aut bellis aut aliis publicis negotiis impediti essent. Verùm in consulibus fortasse ac dictatoribus de eo multi cum Sigonio non dubitabunt, quin pro iure sui magistratus, militare imperium omnes obtinerent: at in prætoribus hærebunt. Ego verò prætores omnes insitam in suo magistratu hanc rei militaris potestatem habuisse, multis ac variis rationibus confirmabo. Primùm enim vna fuit magistratus forma, vna notio, quæ pręturę nomine intelligebatur. Quare vt omnes pariter prætores fuerunt, sic omnes oportuit vna quadam definitione comprehendi. Si ergo verum fuit quibusdam prætoribus hoc ipso quod prætores essent, cõuenisse ius rei bellicæ administrandæ, id in omnibus verum fuisse necesse est. At iis omnibus quibus extra vrbem prouincia obtigisset hoc ius fuisse inter omnes constat. hoc vero ius non sors, non senatus prouincias decernendo, tribuebat: sed tantum inter eiusdem iuris magistratus negotia publica diui-

debat: alioqui non verum fuisset populum magistratum dedisse: sed verius fuisset senatum & sortem magistratum creasse. Cum vero prætores creabat populus, an non æquo iure omnes creabat? Si ergo prouinciarum diuersitas speciē magistratus non variabat, necesse est quod ad ius magistratus attinet, idem omnibus eiusdem generis magistratibus ius reipublicæ administrādæ fuisse. Quapropter si præturæ ratione iis prætoribus qui in prouinciā proficiscebantur ius fuit rei militaris administrandæ, omnibus certè prætoribus hoc idem fuisse fatendum est. Sed quoniam in omni antiquitatis controuersia potius auctoritate pugnandum est, quàm rationibus: quæ verò in prætore vrbano & peregrino est de hac re dubitandi caussa, non tam bene adhibitis communibus rationibus tollitur, quàm si testes citemus Romanæ historiæ scriptores, qui illud ipsum præcipue in iis prætoribus verum fuisse doceant: ego aliquot T. Liuij locos adferam, ex quibus perspicietur prętores vrbanos & peregrinos hoc administrandæ rei militaris iure vsos fuisse. lib. 7. de M. Popilio Consule cum L. Scipione loquens ita scribit. *Quatuor expletis legionibus, quod superfuit militum P. Valerio Poplicolæ tradit, auctor patribus scribendi alterius exercitus: quod ad incertos belli euentus subsidium reip. esset.* Eo tempore vnus Romæ prætor erat, cui & milites dantur, & dilectus habendi negotium. Paulo post. *Consul duabus legionibus vrbi præpositis, octo cum L. Pinario prætore diuisis, memor paternæ virtutis, Gallicum sibi*

bellum extra sortem sumit: Pratorem maritimam oram tutari, Gracósque arcere littoribus iußit. Et lib. 10. postquam dixit iussu senatus dilectum omnis generis habitum fuisse, subiũgit hæc verba. *Summa rerum prætor Pub. Sempronius præerat.* Et Appius Claudius consul cum L. Volumino prætor in sequentem annum factus, eundem retinet prętor, quem habebat cõsul, exercitum: quod certe fieri non potuisset nisi perinde licuisset prætori rẽ militarẽ gerere, atq; consuli. Idémq; Appius prætor mortuo in prælio Pub. Decio consule, decianum exercitũ ducit, & cũ Volũnio res gerit. Et primo libro decadis tertiæ Caius Attilius prætor cum vna legione mittitur ad ferẽdum L. Manlio prætori Galiæ auxilium. Et lib. 2. decad. 3. quo anno clades Cannẽsis est accepta, P. Furi⁹ Philus prætor peregrinus, classis dux, in Africam traiicit. Et lib. 3. decad. 3. M. Valerio Leuino prętori peregrino legiones decernuntur, quæ ex Sicilia rediissent. Et Quinto Fuluio Flacco prętori vrbano classis datur ad tutanda littora suburbana. Et quinto anno belli Punici secũdi, Quinto Fuluio prætori vrbano duæ legiones ad vrbis præsidium relinquuntur. Et septimo anno huius belli. P. Cornelio Sylæ qui vtrámque iurisdictionem sortitus erat, dilectus militum mandatur. Est vero & alius insignis locus apud Liuiũ. lib. 6. dec. 3. *In Hetruriam C. Calpurnius post praturam prorogato in annum imperio missus.* Vrbanam iurisdictionem habebat C. Calpurnius. Is prorogato imperio in Hetruriam vt eã cum duabus legionib⁹ prouin-

ciam obtinere mittitur. Quoniã ergo non ei imperium dari, aut cum imperio mitti dicitur, sed imperium prorogari, manifesto apparet vim eãdem imperij ei fuisse cum vrbanus esset prætor, & cum pro prætore in Hetruriam missus est. Nã si hoc imperiũ ab illo fuisset diuersum, ita vt alterum in altero nõ inesset, non recte prorogatũ imperiũ diceret Liuius. neque enim cuiquã prorogari imperium illud potest quod non habet: sed dixisset Liuius datũ ei imperium: præsertim cum nullam rei militaris partem attigisse legatur toto suæ præturæ anno. Quod si hunc locum attentius considerasset Sigonius, non ita ab imperio consulum & prętorum quod pro suo magistratu habebant, militare imperium distinxisset, quasi rem ab illo diuersam: sed hoc imperiũ militare quasi partẽ illius imperij esse dixisset, mecumque sensisset (id quod illum posthac facturum spero) in ipso magistratu ita fuisse insitum illud imperiũ vt nemo vnquam illud obtinuisse reperiatur, quin non modo magistratus esset, sed etiam minimum cõsularis aut prętoriæ potestatis vim obtineret, tametsi alio quodam nomine suo, eorum magistratus appellaretur. veluti cum M. Antonio & Cnæo Pompeio infinitum illud imperium datum legitur, eorum magistratus, præfectura annonæ appellabantur: verum in eo magistratu proconsulum imperium habuerunt. Et Rullus sub nomine decẽuirorum Agrariorũ, prætorium imperium dabat, vt docet Cicero. Et duũuiri nauales apud Liuiũ sub hoc magistratus

nomine,

nomine, prætorium imperium habebant. Neque vero vno tãtum illo in loco ita loquitur Liuius, ſed etiam lib. 7. decad. 3. *Prorogatum & C. Hoſtilio Tubulo eſt imperiũ vt proprætor in Hetruriam ad duas legiones ſuccederet C. Calpurnio*. Hic autem Hoſtiliꝰ fuerat prætor vrbanus. paulo poſt hũc locum, ſcribit Liuius P. Licinio Varo prætori vrbano quinquaginta nauium claſſem datam, quæ orã maris vicinã vrbi tueretur. Et initio lib. 2. dec. 4. *Prorogata imperia (ſic enim eſt legendum) prætoribus prioris anni: Cn. Sergio, vt militibus qui in Hiſpania Sicilia, Sardinia ſtipendia per multos annos feciſſent agrũ aſſignãdum curaret*. Fuerat hic Cn. Sergius Plãcus priore anno prætor vrbanus. In quo mihi obiter id notandum videtur, quod propter aſſignationẽ agrorũ, imperium ei prorogatum fuiſſe reperitur: vnde videtur colligi poſſe fuiſſe cũ imperio agrarios magiſtratus. Eodem libro L. Cornelius Lentulus prætor vrbanus, ad coniurationẽ Setinam quærendam atque opprimendam miſſus, obuios in agris ſacramento rogatos arma capere & ſequi iubebat. Hic ego Sigonium rogo an repens huius coniurationis indiciũ, aut ſubita per ſenatum prætoris ad eam opprimendam miſſio, aliquid dedit imperij prætori quod non haberet? habuit ergo ſuæ præturæ ratione poteſtatẽ hanc ſacramento rogandi milites ad eum numerum quem iudicaſſet ad id negotium quod gerebat adminiſtrandum, neceſſarium. verius ergo eſt iã tum cum pręturam vrbanam iniit latam de eius imperio fuiſſe legem curiatam, quam cum forte

temere hoc se obtulit negotium, repente occasione eius legis ferendæ data, eam tum demum perlatam. quid enim futurũ fuit si tũ dies comitiales nõ essent? aut si die comitiali auspicia non addixissent? Quod vero de hoc prætore vrbano hic dictum est, idem lib.3.decad.4. dicitur de M. Acilio prętore peregrino, qui quidem in Hetruriam ad seruorum coniurationem opprimẽdam cum vna legione ex duabus vrbanis missus est. Et lib.5.de.4. prętoribus Fuluio & Scribonio quibus vt ius dicerent Romæ, prouincia erat, negotium datum vt centum quinqueremes pararent. Et lib.6. M. Iunio Bruto prætori vrbano simul & peregrino negotium datum est vt veteres naues quę in naualibus erãt reficeret, & armaret & in eam classem socios nauales libertinos legeret. Et lib.7. L. Aurunculeio prætori vrbano negotium datnm est vt 30. quinqueremes, 20. triremes faceret. Et li.9. decad.4. *Consules dũ ipsi quæstionibus impediebantur T. Manium dilectui habendo præfecerunt.* Erat enim T. Mænius prætor vrbanus. Quid? habẽdi dilectus potestas nõne imperij est militaris? Itẽ li.10. dec.4. *Et prætoribus Q. Petilio & Q. Fabio imperatũ est vt Petilius duas legiones Romanorum tumultuarias scriberet, & omnes minores quinquaginta annis sacramento rogaret: Fabio vt sociis Latini nominis quindecim milia peditũ, octingẽtos equites imperaret.* Erant autem hi prætores: ille vrbanus, hic peregrinus. Eas legiones paulo post sedato tumultu iussi suut dimittere. Et lib.1. dec.5. M. Titinius cum prætor vrbanus esset, legionẽ primam Ariminum conuenire iubet. Idémque

Romæ dilectũ habuit. Sed paulo post exercitus dimissus & dilectus omissus. Ideq; M. Titinius anno sequẽti missus est in Hispaniam, prorogato imperio. Et lib. 2. decad. 5. *In præsentia tamẽ Cn. Sicinium prætorem, cuius inter ciues & peregrinos iurisdictio erat scribere milites placuit.* Huic eidẽ classis & exercitus cum prouincia Macedonia prorogato in annum imperio datur. Et C. Licinius prætor vrbanus reficit parátque classem nauium 50, & socios nauales ciues Romanos libertini ordinis in 25. naues scribere iubetur. Et paulo post C. Sulpicio Galbæ prætori negotium datur vt quatuor legiones scriberet vrbanas, iísque quatuor tribunos militares ex senatu legeret qui pręessent. Et lib 3. decad. 5. *Duo milia militum in eas naues sunt imposita, quæ Q. Manius prætor ex Senatus consulto in ea parte Italiæ quæ obiecta Illyrico est conscripsit.* Erat autem vt ex historia planum est, prętor peregrinus. Et paulo post dilectus habendi negotium à consulibus ad prætores transfertur. Et à C. Sulpicio prætore vrbano quatuor legiones scriptæ leguntur. Quod ergo hi prætores vrbani ac peregrini, dilectum habẽt, quod classem instruunt, id ad imperium militare pertinuisse non negabit opinor Sigonius: sed id extra ordinẽ factum fuisse dicet. In quo illi ego assentior, modo illud, extraordinem, ita accipiat vt significet extra quam vsitatum singulorum annorum prætoribus esset, extra quam fieri singulis annis soleret, non autem vt id extra ius horum magistratuum esset. Neque enim quot annis aliquid

accidebat cur vrbanis prætoribus negotium daretur habendi dilectus: vt nec prouincialibus toto suæ administrationis anno semper aliquid accidebat cur eis conscribendus esset exercitus: sed tamen eis non minus ius fuit huius rei, quo iure cum opus esset vterentur]: alioqui senatum hoc ius dedisse dicendum erit, tum cum negotium illud decernebat. Quod in iis certe prętoribus nō magis verũ est quam in coss. & aliis prætoribus. Nã consulibus suas quot annis prouincias quasdam habere ius fuit: neque hoc ius prouinciæ habendæ senatus dabat, sed quas habere eos ę rep. esset, id modo decernebat. Idque vt ita fieret, non modo post legem Semproniam necesse fuit: sed etiam iam inde à p rima consulum origine. Cum enim ante legem Sẽproniam designatis demum consulibus, ac sæpius post initum magistratum, prouinciæ decerni solerent, lex Sempronia ante eos designatos iussit singulis annis decerni. Nunquam ergo ius prouinciæ obtinendæ à senatu datum est coss. sed tantum quas obtinerẽt definiebat, sors deinde suam cuique aut pactio, præfiniebat. quod idem in prætoribus & quæstoribus verum fuisse omnis testatur historia. Ex his quæ à nobis adhuc confirmata sunt, facilẽ quiuis intelligere potest, vera esse ea quæ à nobis in nostra ad Sigonij reprehensiones respõsione scripta sunt, Si verbi imperij significatio modo quæratur, ac non singulatim partes exquirantur in quibus imperium consisteret: si nō quibus gerendis rebus occuparetur qui imperiũ

habebat spectare velimus, sed quid ipsum verbũ imperij significaret, semper vno modo in illis omnibus dicendi generibus accipi, vt significet imperandi ac dominandi potestatem, quacunq; in re consisteret. Nam quod hic maius imperiũ habet, ille minus: Itemq; quod in hac re sit huius imperandi potestas posita, illius in altera: hoc verò non mutat vocabuli significationem, sed eius manet semper eadẽ notio. Hanc vero imperãdi potestatẽ quicunq; ex iure suo habuit, ex eo ipso magistratus fuit. Dixi autem ex iure suo, quia consulum ac prætorum legati, quiq; à magistratu vt præessent prouinciis relinquebantur, fuerunt illi quidem in ea quam habebãt reipub. gerendæ potestate, priuati: & vt id quod gerebant, non suis sed alienis auspiciis gerere dicebantur: non suo ac sibi proprio, sed delegato ac demandato (vt iurisconsulti loquuntur) imperio: ita nec proprie dicuntur fuisse cum imperio, nec imperium habuisse, nec omnino magistratus fuisse: tametsi interdum pro prætoribus esse dicantur. Sal. In Iugurth. *Albinus, Aulo fratre in castris pro prætore relicto.* Et Liuius lib. 10. *Præposito castris L. Scipione proprætore.* Atque illa quidem caussa est, cur Cicero de prouin. consf. dicit, eam prouinciam quæ à legato administraretur, sine imperio fuisse: quia à nullo administraretur, qui suo iure imperium obtineret. Et Liuius lib. 27. postquam dixit à consule Claudio relictum fuisse. Q. Tadiũ legatum, qui castris præesset, paulo post dicit, sine imperio castra fuisse. Et lib. 5. dec. 4. *Cũ verius*

esset T. Sempronio imperium habenti tradi exercitum, quam legato. Planum enim est à Liuio negari M. Marcellum legatum quem exercitui præfecerat cos. L. Cornelius, imperium habuisse, cum T. Sẽpronius quia procos. esset imperiũ haberet. Idẽ Liuius lib. 9. dec. 4. *Literis de morte proprætoris recitatis senatus censuit mittendum qui ad Lunæ portum C. Calpurnium prætorem consequeretur, nunciarétque senatũ æquum censere, ne sine imperio prouincia esset, maturare eum proficisci.* Et lib. 10. eiusdem decad. *Nam vlterior Hispania morte P. Sempronij proprætoris sine imperio fuerat.* Quod ergo ad omnem prouinciæ administrationem attinet, siue rem bellicam spectes, siue iurisdictionem, æqua erat legati potestas atq; proconsulis aut proprętoris, vnum ei hoc deerat, quod quia magistratus non esset, imperium ei defuisse dicitur: hoc est primaria illa in publico negotio imperandi potestas, quam quis suo iure, non autem alieno nomine ac velut precario obtineret. Sed hæc satis sint, aut certe ad fastidium vsque plus satis.

5.

Ex iis verbis apparet dictatorem sine lege curiata magistratum dictaturæ gessisse. quomodo enim agere cũ populo potuisset, si priuatus quidem fuisset? ergo si pertulit legem de imperio, non de ciuili imperio pertulit, sed de militari.

QVID ais Sigoni? Hic Papyrius nunquid, ad rem gerendam dictus erat Dictator? huius ergo dictatura in re gerenda potissimum consistebat. quomodo ergo magistra-

tum dictaturæ gessisse sine lege curiata concludis? quasi verò magistratus dictaturæ in eo consisteret vt cum populo agere liceret. At si huius dictatura maximè posita erat in rei gerendæ potestate, hanc vero potestatem consulis nominatione non haberet, sed per legem demum Curiatam (vt tu vis) eam accepit: concludendum tibi fuit, tum demum pleno iure, atq; optima lege, magistratũ dictaruræ accepisse, cum lex curiata perlata est. Ego verò longè aliter sentio; quod imperium hic dictator nominatione consulis habuerat, illud ipsum ei lege curiata confirmari: ita vt legem de imperio suo ferre, aliud nihil esset, quàm populi iudicio ei magistratum confirmari, quem nominatione consulis acceperat. Quid enim si populus hanc rogationẽ antiquasset, an tu hũc Papyriũ dictaturę magistratũ quo senatus opus esse iudicauerat, nihilominus obtinuisse dicere audeas? immo nihil ei ꝓfuturã fuisse cõsulis nominationẽ existimo: sed omnino ei fuisse deponẽdã dictaturã, aut certe nõ potuisse optima lege dictaturã gerere. Meus sanè sensus hic semper fuit, verius magistratũ lege curiata, confirmari, quam dari: quia iampridem iis demũ video attributam legem curiatam, qui aut iustis quibusdã aliis comitiis à populo creati essẽt, aut iusta quadam alterius magistratus nominatione inaugurati: ita vt ob quandam auspiciorũ, opinor, religionem, hæc legis curiatæ accessio creandis magistratib⁹ necessaria iudicaretur. Attamen quia lego Messalam ac Ciceronem de hac

re ita loqui, vt dicant lege curiata magistratum dari;ego quoque non vereor ita loqui. Quin tamen ea verba illam interpretationem admittát, vt in hoc genere dari magistratum pro eo accipiatur quod est confirmari magistratũ: ego non repugno: quin potius ea in re quoque Ciceronẽ auctorem sequor: qui in agraria ita loquitur, curiatis comitiis potestatem decemuiris confirmari. Verùm quia hoc ipsum, confirmari magistratum eam habet vim vt ad totum potius confirmandũ ipsum magistratũ pertineat quàm ad quandá partem magistratus, aut vero ad aliquam aduentitiá magistratui accessionem: idcirco dico magistratui vt optima lege ac pleno iure magistratus esset, legem curiatam fuisse necessariam. Quod vero rogas, quomodo agere cũ populo potuisset, si priuatus fuisset, respondeo, satis fuisse nominationem illam consulis, vt agendi cum populo potestatem haberet. id tamen non ostẽdere pleno iure dictaturæ magistratum obtinuisse. Immo verò Sigoni arcanum antiquitatis Romanæ obiiciam (quod à me non est omissum in primo libro de Comitiis) nempe quosdam qui tantum designati magistratus essent, hoc ius habuisse agendi cum populo. Comitiis enim consularibus si vnus tantũ designatus esset cos. quia ceteri competitores centurias non explessent, qui designatus erat, collegã sibi rogabat: id quod me docuit Liuius libro 7. dec. 4, cum scribit C. Lælium consulem comitia habuisse quibus M. Fuluius Nobilior consul vnus creatus esset, cum

ceteri, inquit, centurias nõ explessent: ísque postero die Cn. Manlium Lepido deiecto (nã Messala tacuit) collegam dixit. Vt etiam alio loco, libro tertio, legimus Pontificem maximum habuisse comitia quib⁹ Tribuni plebis creati sunt. Nõ est igitur in eo, quòd quis cum populo egit, satis argumenti ad probãdum magistratum esse: tantum abest vt satis sit ad docendum dictatoriam potestatem quempiam habuisse. Ex iis apparet illud tuum. *Ergo si pertulit legem de imperio, non de imperio ciuili pertulit sed de re militari.* Vt ex falsis sumptionibus confectum est, ita haud verũ esse. Quam enim legem de imperio tulit, eam de dictatoris imperio sibi confirmando tulit, non de militari imperio tantum, vt tu perperam soles verbũ imperij interpretari. Nec veriora sunt quæ tu continuò subiicis. *Apparet etiam legem curiatam de imperio pertinuisse ad rem militarẽ, propter clades bellicas lege curiata de imperio lata acceptas.* Quid ais Sigoni? éstne hæc tuo ingenio digna conclusio? Clades de quibus hic mẽtio est acceptæ sunt in re bellica, sunt autẽ acceptæ cum lata esset lex illa curiata de imperio eorũ magistratuum sub quorũ imperio acceptæ sunt: ergo lex illa curiata ad imperiũ tãtũ militare pertinuit? Potuisti tu quidẽ cõcludere eos magistrat⁹ sub quibus illę clades acceptę sunt imperiũ militare habuisse, quia bellicę fuerũt illę clades: legémq; curiatã quæ de eorũ imperio lata legitur, magistratibus latã fuisse, qui belli duces fuerũt: at nõ illud quod tu vis efficitur, tantũ ad dãdũ imperiũ illud militare legem illam de imperio latam fuisse.

Centuriatis comitiis consules tribuníque militares creãtur, curiata rem militarem continent. quasi verò velit dicere magistratum iis dari comitiis, imperiũ vero militare curiatis.

Imo debuisti ex verbis Liuij concludere, quoniam curiata comitia rem militarem continere dicantur, eos non potuisse pleno iure magistratum obtinere, tametsi centuriatis comitiis creati essent, nisi etiam Curiatis comitiis populus de iis iudicasset. Quis enim consulem optima lege fuisse credat, qui nullam haberet rei militaris potestatem? quasi non esset hoc primarium consulũ minus, quod in repub. administrãda gererent, vt bellicam rem administrarent. Verum id ego suprà satis multis docui. certe verba Camilli apud Liuium, aliud nihil significant, quam comitia curiata tam fuisse reip. Romanæ necessaria, quam necesse erat rem bellicam diligenter nulláque omissa religionis parte, nulla veteris moris obseruatione neglecta administrari. Quia scilicet maiorum vetus institutum, auspiciorúmque religio, id postulabat, vt omnibus magistratibus qui reí militaris potestatem haberent, legem curiatam ferri oporteret, siue populi iustis suffragiis creati essent, siue alio modo. Hęc verò curiata comitia non poterant auspicato nisi intra pomœrium haberi. ex quo Camillus efficere volebat, non posse eos sine magno a perniciofo reli-

gionis ad rem militarem necessariæ contemptu, Roma relicta, alio migrare.

7.

Ex quibus item percipitur tum consules antè legem curiatam latam consulatum gessisse: quippe qui legem eam ad populum tulerint.

FALLERIS in eo Sigoni, quod semper existimas ipsos sibi consules, qui rē bellicam administrarunt, legem de suo imperio curiatā tulisse, postquam iam inissent magistratum: cum ex antiquitatis obseruatione verius esse videatur, eos ipsos qui comitia habebāt creandis magistratibus, legem curiatam tulisse. Primum enim multos reperimns consules, cum absentes consulatum inissent, rem gessisse, vt Marium in tertio consulatu: nonnullos cum præsentes designati essent, ante tempus ineundi cōsulatus in prouinciam profectos, vt inito statim consulatu bellum gererēt, vt C. Flaminium in secundo consulatu: Hos vero omnes non potuisse de suo imperio legem ferre curiatam, quæ intra pomœrium ferenda erat, perspicuum est. At rem gerere sine ea non potuisse etiam Sigonius fatetur. Quem ergo eam tulisse consulibus legē suspicari potes, præter ipsum consulem qui designasset? nisi curiatam legem, quæ quot annis de consulum imperio ferebatur, dicamus semel ab altero consulum qui presens esset, aut cui id obtigisset, ita ferri solitam, vt ad totum collegium pertineret, haud secus quam quæ prætoribus, ad

totum ſimul prætorum collegium, quæ quæſtoribus ad totum quæſtorum collegiũ. Verum parum ad id quod agitur intereſt, vtro modo dicamus eos ſcilicet ipſos qui magiſtratus creabant, etiam legem curiatá illis ipſis tuliſſe quos creaſſent(vt mihi vel ex eo verius videtur quod conſules lego ferè omnes ſtatim inito magiſtratu, aliquid rei bellicæ geſsiſſe,quod non potuiſſent, niſi hac lege perlata : eam vero niſi die comitiali perferre non poterant : qui dies comitialis nullus fuiſſe reperitur interiectus inter initi magiſtratus diem, & illum quo rem bellicam gerere comperiuntur:ex quo efficitur eam fuiſſe perlatam antequam inirent magiſtratus. vt omittam quod paſſim in hiſtoria legũtur diuiſi exercitus à Senatu conſulibus ac prætoribus,primo ſtatim die quo magiſtratum inierant : quod fruſtra facere viſus fuiſſet Senatus,ſi ij quibus ea decernebat iam tum non habuiſſent poteſtatem rei gerendæ.& conſules Claudius Nero & Liuius Salinator,antequam inirent magiſtratum, prouincias ſortiuntur & exercitus) An vero ab altero conſulum eam ipſam legem ſibi ac ſuo collegæ cõmunẽ primo quoq; die comitiali fuiſſe perlatam.idem enim hic dicam, quod ſupra in dictatore : eam legem pertinuiſſe ad confirmandum conſulibus magiſtratum, ita vt optima lege , ac pleno iure, conſules non fuerint niſi ea perlata. Nã quos tu è Cicerone locos adfers , ij mihi potius videntur ad legem curiatam pertinere, quæ ad tranſmittendum auſpicatò imperium iis fere-

batur qui post gestum magistratú in prouincias ituri erant, quam ad illam qua initio iis consulare imperium confirmabatur. Nisi fortè per intercessiones aut obnunciationes, hos consules de quibus mentionem facit Cicero, dicamus fuisse impeditos, quominus ferrent eam legem, quam ordine, ac more maiorum, in designandis magistratibus, aut statim initio magistratus perlatam fuisse oportebat. idque impedimentum à Tribunis plebis aut aliis magistratibus extra quam fieri soleret, ac præter vsitatum in rep. morem, propterea fuisse oblatum, vt quacunque possent ratione prohiberent eos iure sui magistratus vti. Quandoquidem eo modo efficiebant vt nó possent more maiorum, iísque adeo obseruatis quæ per religionem auspiciorum erant obseruanda prouinciarum sibi decretarum administrationẽ suscipere. In quo efficiebãt vt nec pleno iure sui magistratus vti possent, nec eo iure quod sibi datum erat à Senatu, cum consulibus designandis per legem Semproniam prouincias decreuisset. Certè si fateamur Romanos postremis illis reip. temporibus, postquam legi curiatæ ferendæ adumbrata tantum per triginta lictores comitia vsurpari cœperunt, in mandando primum consulibus magistratu, centuriatis comitiis fuisse contẽtos: atque in eo interdum à veteri instituto desciuisse, quod lege curiata postinitum demum magistratum ad imperium iis per auspicia confirmandum, tancum dicis causa vterentvr, vnam nos quidem illo modo legẽ curiatam consulibus

dabimus, quam semel iis latam fuisse satis esset: veruntamen illud semper verum manebit, Curiatā legem ad magistratū iure optimo & optima lege obtinendum consulibus fuisse necessariam : nō autem propriè pertinuisse ad obtinēdum imperium militare, quasi rem à magistratu extrinsecam. Id quod mihi videtur posse his rationibus demonstrari? Dion libro 41. scribit. *Anno insequenti Romæ duplices magistratus, contra quam leges ferrent, habuit. Eodémque anno præliū ingens commissum est. Romæ duo coss. Cæsar & P. Seruilius, Prætores quoque & alij legitimi magistratus delecti erant. Qui verò Thessalonicæ degebāt, nihil horum constituerunt: quamuis, vt quidam auctores sunt, ibi cum coss. ducenti Senatores agerent, & ad præscriptum legis, locum ad auspicia capiēda publicum fecissent: vt penes eos populus, atque ipsa ciuitas vniuersa ibi esse censeretur. in causa tamen fuit, quominus nouos magistratus crearent, quòd lex curiata à consulibus lata non erat. itaque iisdem quibus antè vsi sunt magistratibus: appellationibúsque tantum mutatis, eos proconsules, proprætores, proquæstores dixere. Morum enim patriorum magnam adhuc curam gerebant, quanuis correptis armis, patriáque relictæ non omnia quæ ad rem præsentem requirebantur, neque omnino secundum instituta patria, perficere possent.* Dionis verba disertè hoc affirmant, Consules Lentulum & Marcellū ob id nō creasse, nouos magistratus Thessalonicæ, quia ab iis non erat lata lex curiata : cum tamen reliqua omnia iis suppeterent, quæ ad iustam magistratuū creationem viderentur necef-

ſaria. Habebant enim iuſtum numerum Senatorum, ad S. C. faciendum, habebant locum conſecratũ & inauguratũ, in quo auſpicato creare poſſent: qui erant cum illis, iuſtus populus cenſebatur, ita vt eorum ſuffragia populi Ro. ſuffragia merito cenſeri poſſent: denique nihil deerat quominus Romana ciuitas potius exiſtimanda eſſet Theſſalonicæ eſſe, quam Romæ. Vnum inquit, hoc deerat, quod lex curiata à Conſulibus lata non erat. Iam vide Sigoni quid ex eo loco concludam. Primùm, legem curiatam omnibus conſulibus ferendam fuiſſe, idque non vt imperium militare, quod pro iure ſui magiſtratus non haberẽt obtinerẽt: ſed omnino vt optima lege cõſules eſſent. Si enim hi cõſules, nõ ſatis ſe iuris habere ad ſubrogãdos magiſtratus exiſtimarũt, quia non tulerant legem curiatam, hoc verò munus ſubrogandorum magiſtratuum, nihil ad rem militarem pertinet, quin potius ciuile imperium planè reſpicit: neceſſariò efficitur non propriè ac ſolum ad militare imperiũ pertinuiſſe legem cnriatam, ſed ad ipſum omnino conſulatum pleno iure obtinendum. Hos enim conſules ex hiſtoria intelligimus nobili illo S. C. armatos fuiſſe, Vt viderent nequid Reſp. detrimenti caperet, iam indè à ſeptimo Iduum Ianuarii cum Calendis magiſtratum iniiſſent, ex quo mirum videri non debet ſi ſtatim rem bellicam gerunt, tametſi legem curiatam non haberent. Sed id potius obſeruandum eſt ac diligenter excutiendũ, quæ cauſa ſit cur hi conſules non ſibi ferrent legem

curiatam Thesſalonicæ, vt nihil eis deesſet ad plenum ius ſui magiſtratus obtinendum. Hæc haud dubiè cauſsa eſt, quod nuſquam alibi auſpicatò ferri poterat lex curiata, quam intra pomœriū: pręſertim cū vrbani populi atq; adeò ipſius vrbis & agri Ro. partes eſſent curię, ideóq; vrbana propriè auſpicia populi Romani penes curias erāt. Atque illa quidem certè. mihi videtur cauſſa fuiſſe, cur iam inde à principio annuorū magiſtratuum, nō exiſtimarint Romani fas eſſe intermittere vſum curiatorū comitiorum in iis creandis magiſtratibus, tametſi inſtitutū eſſet vt centuriatis comitiis fierent: nempè vt vrbanorum auſpiciorum religio ſimul cum ipſa vrbe nata, retineretur: quæ quidem religio in curiarum comitiis ex Romuli inſtituto cernebatur. Quinetiam poſtquam populus contentus prioribus comitiis quibus magiſtratus mandauerat deſiit velle rurſum ad rem eandem curiatim cōuenire, vſque eo noluerunt horum curiatorū comitiorum vſum perire, vt adumbrata comitia retineri voluerint, per triginta lictores, qui numerum xxx. curiarum referrent: idq;, vt Cicero ſcribit, auſpiciorum cauſſa. Ac ſi locum illum Ciceronis ex ſecunda Agraria attētius intueri velimus, nos profectò cōperiemus, principalem cauſſam ferendæ, de magiſtratibus legis curiatæ, in auſpiciorum religione fuiſſe. Cùm enim illo in loco de nulla alia lege curiata agatur quam de ea quę magiſtratibus ferebatur, quod dicit curiatorum comitiorum vmbram retentam auſpiciorū cauſa

apertè

apertè indicat fuiſſe in iis curiatis comitiis quã-dam auſpiciorum religionem, quam vſque eo negligere Romani noluerint, vt retinendam ſaltem eorum comitiorum ſpeciem quandam neceſſarium exiſtimauerint. Quod ſi illorum adumbratorum comitiorum vſus qui mandandis magiſtratibus neceſſarius eſt iudicatus, in auſpiciorum modo religione poſitus erat, profectò ſi regredi velimus ad ſuperiora tempora quũ adhuc iuſtis comitiis curiatis ferebatur lex curiata, hãc potiſsimum cauſſam ferendæ illius legis fuiſſe iudicabimus, vt religio auſpiciorum quæ propriè ac præcipuè in curiarum ſuffragiis inerat, obſeruaretur: ac non eam ſolam quam oratorie Cicero, & magis accommodatè ad ſuam cauſſam quam ad veritatem affert, vt eſſet reprehendendi poteſtas ſi populũ beneficij ſui pœniteret: nõ q̃d hęc non eſſet reuera populo poteſtas reprehendendi, ſed certè hæc non fuit ſola, nec princeps cauſſa horum Curiatorum comitiorum. Deinde verò ex illo Dionis loco id præterea colligo, ſi his conſulibus non fuit poteſtas ſubrogandi magiſtratus, quia nõ tulerant legẽ curiatã: omnib⁹ contra cõſulibus quibus licuit comitia ſubrogãdis magiſtratibus habere, fuiſſe perlatã legẽ curiatã. Atqui in omni hiſtoria Romana, paſsim videmus ſingulorum annorum cõſules ſimul cum prouinciis ſortiri aut comparare inter ſe vtri ſubrogandorum magiſtratuũ negotium obtingeret. ex quo intelligitur iam tum eos eam poteſtate habuiſse: vnde efficitur legem curiatam

iam tum iis fuiſſe perlatam. Quo magis confirmor in ea quam ſuprà attigi opinione, veterem illum ac vſitatum morem fuiſſe vt ipſis magiſtratibus lex curiata ferretur ſtatim iis deſignatis, aut certè ſtatim poſtquam inierát magiſtratum. Poſtremò Dionis ille locus fidem nobis facere poteſt, Dictatorem etiam qui comitiorum cauſſa creatus eſſet, lege curiata ornandum fuiſſe. Quid enim adferri poteſt cur hac in re liceat Dictatori aliquid quod conſuli nõ licebat? non igitur verum eſt iis modo Dictatoribus qui rei gerendæ cauſſa creati eſſent legem curiatam fuiſſe attributam. Eſt verò & alius apud Dionem locus libro 39. vbi agitur de P. Clodio qui Ædilis factus L. Philippo Cn. Marcellino coſſ. ſtatim vbi ædilitatẽ iniit Miloni diem dixit, eúmque de vi ad populũ poſtulauit: nõ quod (inquit Dion) ſperaret ſe poſſe Milonem damnare, ſed vt ſub accuſandi Milonis inimici ſui prætextu, Pompeium etiam & Ciceronem Milonis defenſores, ſuóſque aduerſarios, conuiciis agitare poſſet. Tũ hæc verba ſubiicit ὁ γὰρ κλώδιος ὅπως ἐπι πλεῖον ποιόιη, οὐκ εἴα τὸν φρατριατικὸν ἐσενεχθῆναι νόμον, οὔτε δίκην οὐδεμίαν ἐσαχθῆναι ἐξῆν hoc eſt, Clodiꝰ vt diutius in hoc cõuiciãdi propoſito perſtaret, non ſinebat legem curiatam perferri, neque vllum iudicium peragi licebat. Hic locus Sigoni tuam de lege curiata opinionem nõ modò labefactat ſed funditus euertit. Ecce enim Clodius ædilis dicitur cum accuſationem Milonis diu ducere, ac non ſtatim iudicium perfici vellet, id quod volebat, impedienda

legis curiatę latione, fuisse assecutum. Quam legem curiatam hic fingere possumus quæ perferenda esset priusquam liceret vllum iudiciū peragere, nisi solennem illam legem curiatam quæ singulorum annorū magistratibus ferri solebat, auspiciorū caussa? Excutiamus quæso ex annalibus Romanorum omnia quæ nobis lucem aliquam adferre possunt. consules huius anni Martius Philippus & Cn. Lentulus Marcellinus, & prætores à superioris anni Consule Metello Nepote creati erant : sed propter obnunciationes perpetuas, non potuerat ædiles creare; vt notum est ex epistola 4. libri 4. ad Atticum : sed mense Ianuario ad 11. Calend. Feb. ab huius anni consulibus ædilium curuliū comitia habita sunt. quod ex Cice. secunda epistola libro 2. ad Q. fratrem intelligitur. hæ verò conuiciosę contiones Clodij aduersus Pompeium, cum Miloni reo ad populum adesse vellet, à Cicerone docētur initio mensis Februarij habitæ, in tertia epistola eiusdem libri, octauo scilicet idus Feb. In eadémque epistola docet Clodium diem iudicij produxisse ad Quirinalia, quæ erant 13. Calen. Martias, & in sexta eiusdem libri epistola, rursus reperitur dies iudicij producta ad nonas Maias. Iam illud consideremus, de quibus iudiciis intelligendum videtur id quod dicit Dion, non licuisse ea peragi nisi perlata lege curiata. Certè hoc iudiciū quod Miloni à Clodio intendebatur, populi iudicium erat, vt ex Cicerone apparet, & Asconio in comment. Milonianæ: nō autem ex iis quæ apud præ-

toresquęstionum perpetuarum exercębantur:id est non apud eum prætorem qui hoc anno de vi quærebat reus factus erat Milo à Clodio, sed ad populum,pro iure sui magistratus,vocauerat. Si ergo de iis modò iudiciis dicamus Dionis verba intelligi quæ ad populum fiebant, illud tamen efficietur,curiatam legem fuisse perferendam, vt peragendi ad populum iudicii potestatem haberent magistratus. Sin de omnibus iudiciis,multo magis efficietur ne prætoribus quidem fuisse exercendorum iudiciorum potestatem,nisi lege illa perlata.Hanc verò quibus dices fuisse perferendam nisi ipsis magistratibus qui iudiciorum exercendorum potestatem habebant?An de lege curiata,qua imperium militare daretur,hæc esse accipienda dices?vt Dion velit nisi perlata antè de consulum imperio militari, lege curiata, nullum iudicium potuisse peragi? id verò planè falsum est.Cùm enim certum sit exercendorum iudiciorum munus,ordinarium adeò fuisse,vt in singulos annos incurreret,ac reipsa exerceretur, nisi siquādo ad aliquod tempus indictum iustitiū fuisset:fatēdum quoque tibi Sigoni esset singulorum annorū consules necessariò imperium militare extraurbanum obtinuisse,hoc est, vt tu interpretaris, exercitus imperatores in aliqua prouincia extramurana fuisse:quod & falsum est, & tu quoque non verum esse affirmas. Plurimi enim consules reperiuntur qui totum consulatū in vrbe gesserunt, nec in prouinciam ex consulatu profecti sunt. Quibus si perinde atque a-

liis, qui in prouincias proficiscebantur, ferẽdam fuisse legem curiatam, ex hac iudiciorum ratione ostenditur, verum esse non potest quod affirmat Sigonius, nõ alium fuisse vsum legis curiatæ quam ad dandũ imperium prouinciale. Certius ergo est id quod à me de lege curiata scriptum est, omnibus omnium annorum consulibus ferendam fuisse legem curiatam, ídque ad sui magistratus confirmationem potius, quàm ad obtinendum aliud quoddam aduentitium rei militaris imperium. Sed quoniam ex iis Ciceronis locis quos citat Sigonius ex epistola ad Lentulum Spintherem, & ex libro 4. epistolarum ad Atticum intelligimus Appium Consulem ad finem anni sui consulatus tantoperè laborare de lege curiata sibi ferenda, vt etiam infamem illam pactionem, quam detexisse Memmius scribitur, ob id fecerit cum candidatis consulatus in annum insequentem, vt quam reipsa ferre non poterat legem curiatam, triũ augurum testimonio perlatam fuisse ementiretur: Et rursus quoniam ex historia comperio ante hoc tempus quo nondum lata fuerat lex curiata ab Appio, multa iudicia fuisse facta, vt C. Catonis, P. Vatinij, M. Scauri. A. Gabinij: Hæc, inquam, mihi argumento sunt hanc legem Curiatam quam sibi ferri tã studiose contendebat Appius, aliam quandam fuisse ab ea quæ magistratibus initio anni, vel tũ cum designabantur, perlata erat: quæ scilicet ad transmittendum in prouinciam proficiscẽti imperium videretur necessaria.

De quo Saluſtius in Catilina. Senatus decreuit darent operam conſules ne quid reſpub. detrimenti caperet. Ea poteſtas per Senatum more maiorũ magiſtratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis ciues atque ſocios: domi militiæque ſummum imperium, ac iudicium ſummum habere. Aliter ſine populi iuſſu nullius earum rerum conſuli ius eſt. Quæ verba nobis hanc lucem adferunt, vt intelligamus, conſules iure conſulatus exercitum parare bellúmque gerere non potuiſſe, neque domi, militiǽque ſummum imperium habuiſſe, quod certe habuiſſent ſi imperium vnum tantum eſſet.

In hoc vno Saluſtij loco tractando multipliciter peccat Sigonius. Id quod facili⁹ apparebit, ſi verã interpretationẽ primũ ſubiecerimus. Quia nobilis huius ſenatuſconſulti quo plerũque in atroci negotio ſenatus vti ſoleret mentionem fecerat, idcirco quam vim haberet illud S.C. continuo docere voluit. Itaque huius eam vim fuiſſe dicit vt legibus ſoluti conſules, dictatorium plane imperium, ſub nomine conſulum obtinerent, quemadmodum oſtendit Plutarchus in vita Gracchorũ, vbi Opimiũ conſulem dicit ſub nomine conſulis dictatoriã poteſtatem obtinuiſſe. Et Liuius lib. 6. cum ſcribit aduerſum Manlium non dictatorem dictum, vt aduerſus Sp. Meliũ factum erat, ſed hoc S.C. vſum ſenatum. *Decurritur ad leniorem verbis ſententiam, vim tamen eandem habẽtem, vt videant magiſtratus nequid ex pernicioſis M. Manlij conſiliis Reſp.*

detrimenti caperet. Hoc dicit Liuius vim eandem habuisse hanc sententiam decernendi illius nobilis S.C. quam si decretũ esset vt dictator diceretur. Obtinebant ergo per hoc S. C. consules extraordinariũ quoddam imperium, quod à Salustio particulatim exponitur, exercitum parare, bellũ gerere, coercere omnib⁹ modis ciues atque socios, domi, militiæque imperium atque iudiciũ summum habere. quibus verbis indicat consules hoc S.C. armatos omnibus legib⁹ solutos fuisse, quibus repressum moderatúmque erat eorũ imperium ordinarium. cuiusmodi leges erant de prouocatione, leges Porcia & Sempronia, quibus vetabatur ne omnimodam coercionem haberent coss. quam hoc S.C. accipiebant: de non imperando intra pomœrium exercitu: de iunioribus tantum in dilectu sacramento cogendis, denique de non habendo summo ac legibus soluto in iudicãdo imperio. Neque vero hoc imperium dictatorium consulibus dare fuit in sola senatus potestate: sed etiam interdum à populo extraordinarium hoc imperium acceperũt, ita vt solutum legibus imperium perinde per legem quam populus iussisset obtinerent, ac si nobili illo S. C. armati fuissent. Quod quia in historiæ Romanæ lectione nõ obseruauit Sigonius, propterea in multos ac varios errores se induit. Ac de eo quidem, quod legibus soluere consulem posset populus, ita vt sub nomine consulis dictatoriam potestatem obtineret, nõ ambigit opinor Sigonius: at id factum aliquando esse exẽ-

plis doceri vult. Apud Liuium lib. 4. ad vindicãdam cædem M. Posthumij Trib. Mil. cõsulari potestate, per seditionem à suo exercitu occisi, cõsulib⁹ A. Cornelio Cosso & L. Furio Medullino, plebiscito negotiũ mandatur quærẽdi animaduertendíque vltimo supplicio in omnes cædis posthumianę conscios. Hac lege extraordinaria potestas consulibus data est in hoc gerendo negotio: populúsque per hanc legem judiciũ summum absque prouocatione in consules transtulit (vt indicant verba Liuij cum de sanguine & supplicio plebis eam legem appellat) quod alioqui erat solius populi proprium. quinetiam si vi armata opus esse iudicassent consules aduersus huius seditionis conscios, per hanc legem eis id licuisse haud dubium est: quod alioqui Consules per ordinariam suam potestatem non potuissent. Idem autem imperium extraordinariũ obtinuisse consules censendi sunt, quoties iisdecretam à populo quæstionem in historia legimus. De vita enim ciuium, omninóque de ipsorum statu, iniussu populi agi non poterat. ex quo apparet tum populum suo quodam iure cedere, cum eam dat alicui potestatem quæ legibus moribúsque Romanis ipsius propria esset: iussúmque populi quod hic interuenire solet eo pertinet, vt legibus hac ex parte sit solut⁹ is cui ea potestas datur, quam alioqui iure sui magistratus non haberet. Apud Liuium lib. 9. dec. 4. ambobus cõsulibus Sp Posthumio Albino & Q. Martio Philippo, quęstio de clãdestinis cõiurationi-

bus aduersus bacchanalia, decreta est. Ea potestate accepta quã multos ciues extremo supplicio affecerũt? Hoc vero fuit imperiũ maius dare consulibus, quam pro iure sui magistratus. Hos vero coss. Cicero 2. de leg. scribit exercitu adhibito quæstionem hanc exercuisse. Post interfectum Tiberium Gracchum, consulibus eius anni qui proximè insecutus est Popilio & Rupilio quęstio decreta est aduersus Gracchanę seditionis conscios. Cum Pompeius tertium cos. factus est solus, ei à populo sub nomine cõsulis datum est imperiũ dictatorium, vt ex historia perspici potest. Nã quod illo anno. S. C. illud nobile decretum fuisse comperimus, id vero iam ante factum erat quàm cos. esset Pompeius. Sic enim docet Asconius factũ fuisse hoc S. C. vt interrex & tribuni Pleb. & Cn. Pompeius qui procos. ad vrbem erat, viderent ne quid detrimẽti respub. caperet: dilectũ autem Pompeius tota Italia haberet. Hoc vero est quod dicit Salustius sine populi iussu, id est, nisi lata nominatim ad eam rem lege, nulli consuli ius fuisse earum rerum quas enumerauerat: quibúsque summũ quoddã ac legib⁹ solutũ imperiũ extraordinariũ descripserat: præter quam quod nobili illo S. C. idem ius accipiebat. Ita vt duos omnino modos quibus maius quoddam imperium quàm pro magistratu coss. acciperẽt hic nobis significet, vnũ à Senatu per hoc nobile S. C. alterum à populo per legem specialiter (vt Iurisconsulti loquũtur) de ea re perlatã. errat igitur primum in eo Sigonius

quod contra omnium exemplarium fidem, verba Saluſtij corrumpit. Legit enim. *Aliter ſine populi iuſſu nullius earum rerum conſuli ius eſt.* Cũ in omnibus impreſſis codicibus, etiam iis qui à Paulo Manutio nuper ex manuſcriptorum librorũ fide ſumma diligẽtia editi ſunt, legatur. *Aliter ſine populi iuſſu nulli earum rerum cõſuli ius eſt.* vt Saluſtius ſuo ac ſibi in verbis tranſponendis vſitato more loquẽdi, dicat, nulli cõſuli ius fuiſſe earũ rerũ ſine populi iuſſu. Sane beneficio viri clariſsimi ac doctiſsimi Henrici Memmij, facta eſt mihi copia videndi quatuor venerandæ antiquitatis manu ſcripta Saluſtij exemplaria, in quibus omnibus vno conſenſu legitur nulli earum rerum cõſuli ius eſt, ad quę acceſsit quintũ, mihi à Diony. Lãbino viro omni doctrinæ genere p̃ſtãtiſſimo vtẽdum datum, planè cum illis congruens, & cõcordans. Quantum vero interſit hoc ne an illo modo legatur, hinc perſpici poteſt, quod qui cũ Sigonio leget. *Nullius earum rerum.* mendacij aut ignorationis Saluſtium arguet, vt paulo pòſt docebo. At ſi ea relinquatur, quæ eſt in omnibus exemplaribus lectio, & veriſsima, & ad id quod agit maximè accommodata Saluſtij ſentẽtia retinebitur, vt à me paulo ante explicatũ eſt. Deinde verò quis poteſt hanc Sigonij interpretationem ferre, vt populi iuſſu in hoc Saluſtij loco ſignificet legem curiatam? vt verba Saluſtij eum ſenſum habeant, aliter ſine lege curiata nullius earum rerum conſuli ius eſt. Quid? an neſciebat Saluſtius iandudum nullis populi comitiis ferri

legē curiatam? Et hoc ſcilicet appellauit iuſſum populi vbi nullus fieret populi cōuentus ad aliquid iubendum? Verum fingamus cum Sigonio Saluſtium, aut moris Romani qui ſua ætate obſeruaretur, ignarū fuiſſe, aut vero ita improprie locutum, vt iuſſum populi in ea re appellaret, in qua nullum populi iudicium ex ſpectaretur, ſed triginta tantum lictores, ad ſpeciem quādam & vſurpationem vetuſtatis, ſuffragium ferrent: id potius quæramus verúmne eſſe poſsit id quod ex hac ſua interpretatione colligit Sigonius. Hōc eſt, verúmne ſit, nullius earum rerum quas dixerat, conſuli ius fuiſſe abſque lege curiata. Nonne domi ſummum imperium habere ex numero eſt earum rerum, quas enumerat Saluſtius? Atqui nullius earum conſuli ius fuit, inquit Sigonius, ſine lege curiata. Vt ergo ſummū in vrbe imperium conſul obtineret, lege curiata opus ei fuit. At omnes conſules quia conſules eſſent ſummū hoc in vrbe imperiū habuiſſe omnes latini ſcriptores affirmant, & Sigonius fatetur. Fuit ergo omnibus conſulibus neceſſaria lex curiata vt cōſules eſſent: quod tamen ne fateri cogatur tantopere laborat Sigonius. Ita, quam ex hoc loco confirmare ſe putat poſſe de lege curiata ſententiam, eam plane ſua interpretatione refellit. Iam vero ſi in verbis Saluſtij eam agnoſcamus ſentētiam quā dicit Sigonius, vt ſcilicet duos modos deſignet Saluſtius quibus imperium militare conſulibus daretur: Vnum in vrbe per S. C. illud nobile raro vſitatum, & quod vltimæ ſemper

necesſitatis habitum eſt (inquit Liuius) alterum non in vrbe ſed in prouincia tantum, per legem curiatam: quo iure ergo dicemus multos magiſtratus quibus vt in vrbe manerēt prouincia obtigerat, aut vero quibus vt vrbi præeſſent, collegis ad bella externa profectis, negotium mandatum erat: quo, inquam, iure dicemus vſos fuiſſe, cum ſæpe eos reperimus dilectum habuiſſe, per loca vrbis plurima præſidia diſpoſuiſſe? & maximè ſi tumultus aliquis alicundę exſiſteret. Nam illius extremæ necesſitatis S. C. nullam tum mētionem faciunt hiſtorici. hoc vero imperium militare non fuit prouinciale, ſed plane vrbanum, ideóque non per legem curiatam (vt quidem Sigonius exiſtimat) obtentum. Nos ergo per Sigonij interpretationem mendacij arguemus Salluſtium, vt qui duos tantum modos obtinendi militaris imperij nobis induxerit, cum à magiſtratibus Romanis sępe videamus fuiſſe geſtum, abſq; eorum altero modo. Sed præſtat ſumptis ex hiſtoria exemplis, velut in rem præſentem venire. Atque vt à principio liberatæ regio dominatu reip. exordiar, quandiu populi vrbis Romæ vicini, fuerunt hoſtes, tandiu videmus per portas & muros, aliáque vrbis munita loca, armatorū pręſidia collocari, at vix ac ne vix quidem toto illo tempore reperies illo nobili S. C. vſum fuiſſe ſenatum. Dic mihi (amabo te) Sigoni, quo iure hoc intra vrbem militare imperium obtinuerunt illi magiſtratus qui horum militum duces erant? Nā curiata lex, inquis, ad extramuranum imperium

pertinet. Iam vero profectis ab vrbe consulibus quam sæpe legimus præfectos vrbis dilectū habere, & omnia imperij militarismunera intra pomœrium obire? An dices præfecto vrbis id licuisse pro iure sui magistratus, consulibus, quorum erat velut legatus tantū, non licuisse? Liuius scribit lib. 3. consulem T. Quintium ab Algido, quò cum exercitu aduersus Æquos profectus erat, in vrbem reuersum: cúmque repente in fines Romanos Æqui inuasissent, magnúmque in vrbe tumultum fecissent, præsidia portis imposuisse. Rogo te Sigoni, quî hoc T. Quintio licuit? nam curiata lex prouinciale tantum imperium ei dederat, vt tu vis. At S.C. Liuius hoc loco non facit mentionē: anno vero consequenti hoc S.C. vsum fuisse Senatum docet. Quid P. Valerius cōsul eo anno quo Herdonius capitolio occupato seruiuile bellē cōcitare voluit, quo iure id facit quod apud Liuium scribitur? *Vltimum orationis fuit, se arma capere, vocare omnes Quirites ad arma.* Idem enim Liuius docet hæc Valerium apud populum dixisse, cum se ex curia proripuisset, nullo adhuc facto S.C. Quo iure id ei dicere licebat, aut potius id ipsum continuo facere quod dixerat quo iure potuit? Nā & dilectum habuisse, & sacramento plebem quam aduersus hostem statim duxit, addixisse, illic scribitur. Anno insequenti coss. Q. Fabio & L. Cornelio Maluginensi scribit Liuius consules partitos fuisse prouincias, Fabio vt Antium legiones duceret, datum: Cornelio vt Romę pręsidio esset, ne qua pars hostiū,

vnus res Romæ curaret: quam prouinciam extra sortem habuit C. Seruilius. De eo ita scribit Liuius. cum allata esset duorum Tribunorum, qui in castris erant, discordia. Q. Seruilium patrem, huius C. Seruilij, velut haud dubia clade imminente, institisse filio, vt milites scriberet, & arma pararet. Rogo te Sigoni, cum huius Seruilij vrbana esset prouincia, iure ne id facit, ad quod patris tum priuati consilio adductus est? certè si curiata vt tu vis, lex non aliud imperium dédit, quàm externæ prouinciæ, nullum autem S.C. factum esset, vt ex historia apparet, militare hoc imperium contra leges arripuit. At si iure sui magistratus habuit, nihil sanè dici aut fingi potest, cur non pariter omnes habuisse credantur, qui reperiuntur, cum foris tranquillę res essent, toto anno sui magistratus in vrbe fuisse. Idem Liu. lib. 6. In quarto tribunatu Camilli, ita docet fuisse partitas prouincias inter sex collegas, vt Camillus cum Valerio legiones duceret aduersus hostem Antiatem, Q. Seruilius altero exercitu instructo paratóque ad vrbem (sic enim legẽdum non in vrbe) castra haberet: tertius exercitus ex causariis senioribúsque à L. Quintio scriberetur, qui vrbi mœnibúsque præsidio esset: L. Horatius arma tela frumentum, quę bellica tempora poscunt, prouideret: Sergius Cornelius præses esset consilij publici, custósque religionũ, comitiorum, legum, rerum omnium vrbanarum. Vide Sigoni quo modo ex hoc te loco expedias. Ex his sex tribunis militaribus tres sunt quibus nulla

est externa ꝓuincia. Tua igitur opinione hi tres curiata lege non fuerunt ornati. quo ergo iure rem militarem attingere licuit Quintio & Horatio? Et paulo post ita scribit Liuius, *insequenti anno Sp. & L. Papyrij noui tribuni militũ consulari potestate Velitras legiones duxere, quatuor collegis S. Cornelio Maluginensi 4. Q. Seruilio, C. Sulpicio, L. Aemilio quartum tribunis ad præsidium vrbis, & si qui ex Hetruria noui motus nunciaretur, relictis*. Dic mihi Sigoni putésne his quatuor tribunis mandatum fuisse vrbis præsidium, absque imperio militari pręsertim aduersus nouos motus Hetruscorum? Et paulo post de tribunis militum cons. pot. L. Æmylio, P. Valerio 4. C. Veturio Ser. Sulpitio, L. & C. Quintiis Cincinatis, ita scribit Liuius. *Iisdem opibus obtinuere vt aduersus Latinos Volscósque qui coniunctis legionibus ad Satricum castra habebant, nullo impediente omnibus iunioribus sacramento adactis, tres exercitus scriberẽt: vnum ad præsidium vrbis: alterum, qui si qui alibi motus extitisset, ad subita belli mitti posset: tertium longè validißimum P. Valerius & L. Aemilius ad Satricum duxere*. Hic rursum quatuor Tribuni milit. cons. potest. in vrbe manent, & tamen duorum exercituũ duces esse scribuntur. Ac ne te nimium multis onerari exemplis dicas, hanc tibi adferam ex omni reliqua historia Liuij rationem: in qua paßim reperimus vrbanas relinqui legiones ad vrbis præsidium, & ad omnes nouos motus: eásque modo à consulibus qui in vrbe mansissent, modo à prætoribus vrbano, aut peregrino, scriptas legimus. Vide quæso

Sigoni quomodo tuam hic defendes sentētiam de imperio militari, quod tu nullū in vrbe agnoscis, nisi per nobile illud S.C. quodq; in ipso magistratu non esse insitum putas, sed extrinsecus aduenire per legem curiatam, in iis tantum qui externas prouincias obtinerent. Ex his quę diximus perspicuum est nec veram esse Sigonij interpretationem, nec vllo modo ad locum illum Salustij accommodatam. Postremo in huius nobilis S.C. ac legis curiatæ vsu, pariter errat Sigonius. Tā enim falsum est per illud S. C. obtineri imperium in vrbe tantum, non etiam in externa aliqua prouincia: quàm non verum, per legem curiatam externum tantum non etiam vrbanum imperium militare demādari. Apud Liuium lib. 3. cum Posthumio alteri consulum negotiū datur, Videret ne quid detrimenti Respub. caperet: Aduersus Æquos hoc S.C. armatus est: aduersus quos paulo post legitur cum exercitu exisse. Et quod S.C. factum est in coniuratione Catilinæ, nonne C. Antonio Consuli imperium militare dedit, quo extra vrbem vsus est aduersus Catilinā & reliquos ciues cōiurationis socios? Certe hoc S.C. imperium extra ordinariū obtinebatur, curiata lege ordinarium. Id vero est in quo fallitur Sigonius, quod hęc duo extraordinarij facit imperij: vnúmque vrbanū, alterū prouinciale facit: quasi suas quasdam dari consulibus prouincias, ad imperium extraordinarium consulum pertineret, ac nō potius per legem Semproniam necesse esset ipsis, antequam designati essent pro-

uincias decerni: & ante legẽ Sẽproniã nõ esset id vsitatũ, vt singulorũ annorum consulibus suæ decernerẽtur prouinciæ. Neque vero dici potest cõsules minus habuisse illud ius prouincialis imperii, quod quidam reperiuntur in prouincias sibi decretas ire noluisse: alioqui consulum voluntas ius facere diceretur. At si hoc ordinariũ fuit, illud vero quod S.C. demandabatur plane extraordinarium, cui, præterquam Sigonio, probabile videtur, Salustium hic voluisse hæc duo inter se conferre? ac non potius duos modos obtinendi sub nomine consulum extraordinarij imperij, significare voluisse?

9.

Iam vero prætores vrbanum & peregrinum, quique publicas quæstiones exercuerunt, priore item tantum imperio fuisse affectos affirmo, posteriore nego.

SVPRA satis demonstraui in suo magistratu hos prętores insitum habuisse militare imperium, quo vterentur vbi reip. gerẽdę necessitas postularet. idque perspicuè apparebat si profectis ab vrbe consulibus, aliquis tumult⁹ aut gallicus, aut italic⁹ repẽte existeret. erant enim tum hi prætores, quibus rei bellicæ negotium incumbebat: idque pro iure sui magistratus: alioqui, nouum ius eis attulisse tumultus repente ortus, diceretur.

10.

Prouinciales autem omnes vtrúmque habuisse contendo, ciuile quidem nempe iurisdictionis lege cẽturiata, militare vero ipsum, sine dubio curiata.

VELIM mihi certũ aliquid diceret Sigonius, quid prætorum prouincialiũ nomine intelligat. Nam si omnes qui prætorio imperio in prouinciis fuerunt siue prætores essent siue proprætores tãtũ, hoc verbo intelligantur, hoc habeo quod volo (in quo tamen à me dissentit) omnes magistratus qui cũ imperio in prouincias irent, lege curiata ornatos fuisse: neque tamẽ verum est omnes istos lege centuriata imperiũ vllũ accepisse: sed plurimi plebiscito scribuntur imperium obtinuisse. Sin eos modo intelligat qui prætores cũ essent eo ipso anno quo prætores erãt in prouinciis fuerunt, primum nihil eius verba ad eos prouinciales magistrat⁹ pertinebũt qui toto illo tẽpore quod fuit post quæstiones perpetuas in rempub. inductas, prouincias ex prętura obtinebant: quia verum non sit cẽturiatam legem quæ non poterat plusquam annuum magistratum dare, imperiũ ciuile eis dedisse, in quo ipsum magistratũ situm esse vult Sigonius: præsertim cum eos velit iam tum magistratus esse desiisse. Deinde verum non erit omnes prætores illos iurisdictionem habuisse: siquidem verũ sit quod dicit Sigonius eos modo iurisdictionẽ habuisse qui in eas regiones mittebãtur quę iam essent in pro-

uinciæ formam redactæ. quam multi enim misi reperiũtur in sua prętura in eas regiones quę totæ adhuc in hostium, ditione erant? quam multi leguntur prouinciam habuisse incertam quo Senatus vellet? quam multi prouinciam habuerũt, vt clasi præessent? An minus hi prouinciales magistratus fuerunt quam ceteri qui in pacatas prouincias mittebantur?

II.

Hic enim locus docet, non esse idem imperiũ prætoris vrbani ac prouincialis. vocat enim curationẽ vrbanam, negotium & onus: prouincialem vero imperium.

NON possum satis mirari quid Sigonio venerit in mentem, ita peruertere veterũ scriptorum monumẽta. Cicero (inquit) in prætura vrbana appllanda negocij & oneris verbo vtitur: in prouinciali, imperij: ergo prætor vrbanus imperium non habuit, sed negotium & onus: prouincialis vero, imperiũ. Est ne hæc digna Sigonio conclusio? quasi vero omnes eiusdẽ magistratus collegæ nõ idẽ ius imperij haberẽt: aut quasi negotiorum quæ magistratibus obtigissent, dissimilitudo, totidem magistratus species faceret, quot erant negotia quæ iis demandata essent? quid? eum ne ferre quisquam posit, qui ita concludet, maioris negotij est huius quã illius prouincia, ergo maius imperiũ hic habet, quam ille? consules in vrbe fasces habebant sine securibus. Iisdem statim vrbe profectis secures cum fascibus præferebantur, non modo si cum

exercitu vrbe exirēt (inquit Dionysius lib. 10.) sed etiam si ob aliam quamuis causam: veluti ad res sociorum spectandas, quęstiones per Italiam exercendas, agros publicos à priuatis disterminādos. Tu ne ex eo Sigoni concludes, aliud imperium obtinuisse consules in vrbe, aliud extra vrbem? Certe securium accessio vim quandam imperij maiorem indicabat, at ipsius imperij speciē nullo modo immutabat. Id vero fuit Sigonio in verbis Ciceronis obseruandū, quod prætori prouinciali datæ fasces cum securibus, vim imperij maiorem, quam in vrbe habuisse indicabant: At non id fuit colligendum, quod male ipse cōcludit, aliud imperium vnius prætoris fuisse quam alterius. secures adiectę fascibus, meri imperij, ac sublatæ prouocationis insignia erant: sed vt idem magistratus specie manebat, ita necesse fuit, idem specie imperium permanere: hoc tantū intereat quod in vrbe astrictum certa quadam lege erat, qua extra vrbem solutum erat.

12.

Et Cæsar lib. 1. belli ciuilis. In reliquas prouincias prætores mittuntur: neque expectant (quod superioribus annis acciderat) vt de eorum imperio ad populum feratur. paludatique votis nuncupatis exeunt. quibus verbis nonne aperte admonemur prætores prouincias à Senatu, imperium à populo accepisse?

Ex historiæ non satis accurata obseruatione fallitur hoc etiam loco Sigonius. verba Cæsaris continuo ante hunc locum, ista sunt. *De reliquis rebus S. C. perscribuntur,*

prouinciæ priuatis decernuntur, duæ consulares reliquæ prætoriæ. Scipioni obuenit Syria L. Domitio Gallia. Paulus & Marcellus (sic enim legendũ est) priuato consilio (nisi potius prauo consilio sit legendum) prætereuntur neque eorum sortes deiiciuntur. Mox ea sequũtur quę à Sigonio citantur. quod si cum superioribus hæc posteriora coniunxisset, statim intellexisset, quia hoc anno priuatis tãtũ datę sunt prouincię, propterea oportuisse de eorũ imperio ad populũ ferri: quod aliud nihil est quã ex priuatis magistratus facere. Hoc sane est quod Cęsar reprehẽdit. præcipitẽ scilicet Senatus festinationẽ in mittendis proconsulibus & proprætoribus: eorũ qui mittebantur pręproperam profectionem: vt qui, cùm priuati omnes essent, non tamen expectarunt dum ád populũ ferri posset de dãdo illis imperio. In quo à legibus & more maiorũ discessisse significat Cæsar cùm scribit. *Quod superioribus annis acciderat.* Dion enim lib. 40. scribit, coss. Cn. Domitio Caluino & M. Valerio Messala, qui erat quartus annus ante hunc quo hæc gesta sunt, de quibus loquitur Cæsar, factũ fuisse S.C. vt nemo consul aut prætor in prouinciam mitti posset, nisi quinquennio post quàm magistratũ gessissent. Ex quo S.C. apparet nullos nisi priuatos superioribus illis annis in prouincias missos fuisse. Sed cùm omnes expectassent dum ad populum de eorum imperio ferretur, hoc reprehendit Cæsar, quòd non hi quoque id expectarunt, sicut superioribus annis factum erat. Quod verò ferendum fuisse significat de eorum imperio ad

populum, id ad iusta populi centuriata comitia, aut potius tributa pertinet, non ad legem curiatam, quæ tum temporis absque populi suffragio ferebatur. Nam si de lege tantum curiata intelligatur, quemadmodum velle videtur Sigonius, necesse erit vt fateatur lege curiata magistratum dari potuisse iis quibus nullis aliis comitiis ante datus esset magistratus. quod nouum atque inauditum esse docet Cicero in secunda gratia, pręsertim in iis magistratibus quos à populo mandari ius esset. Deinde quoniam imperiū tantum militare, non etiam ciuile lege curiata dari existimat, necessariò efficietur omnibus huius anni prouincialibus magistratibus imperium tantum militare datum fuisse, nullum ciuile imperium, id est nullam iurisdicendi potestatem, habuisse. quo quid absurdius est? Postremò quomodo audet, vbicunque de lege curiata scripsit, negare iis qui priuati in prouincias mittebantur necessariam fuisse moribus Romanis legem curiatam: quando ita hunc Cæsaris locum interpretatur, vt dicat repræhensionem Cæsaris eo conferri, quod legem curiatam de his prætoribus prouincialibus non tulerint, quam more maiorum ferri oportebat: cum ex eodem ipso loco certum sit omnes hos priuatos fuisse missos in prouincias.

De his autem idem iudiciũ est. quanquam enim ex priuatis in prouincias missi sunt, tamen quia iure magistratus Romæ gesti prouincias eas adepti sunt, eodem modo in prouinciis & potestatem & imperium habuisse censeo.

TENE hoc censere quod loqueris existimem Sigoni doctißime? Consulares & prætorij si vel decennio post gestum magistratum in prouincias irent, id eos fuisse adeptos, iure magistratus Romæ gesti? Quid? toto illo decennio, nónne tam priuati fuerunt, quàm alius quiuis qui nullum vnquam magistratum gessisset? an auspicia & ius imperij in vllo priuato permanserunt? an toto decẽnio intermortua, postea ob eam solum caussam reuixerũt, quia voluit tanto post interuallo in prouinciam aliquis proficisci, qui antè noluerat? Quin melius ac tutius committerentur prouinciæ iis quibus per leges & ætatem licuisset tempu. in magistratu administrare, quam iis qui nullam adhuc publici imperij partem capessere, aut noluissent aut non potuissent, id verò negari non potest. Sed quod vllam imperij partem illi potius quàm hi retinerent, hoc planè est ab omni iuris antiqui cognitione alienum.

14

Vt autem prouinciam ex S.C. & sorte obtinuerunt, sic eosdem imperium lege curiata accepisse opinor.

ROGO te Sigoni nunquid prouincias hi, quos tu dicis ex S. C. prouinciam obtinuisse, sine imperio (vt tu vocas) ciuili obtinere potuerunt? si non potuit sine imperio duntaxat ciuili prouincia obtineri, satis autē iuris fuit in senatu ad dandam prouinciam, potuit ergo suo iure senatus imperium ciuile dare. Hoc verò te auctore est in quo propriè magistratus consistebat. fuit ergo in potestate senatus magistratum creare. Quo quid magis est ab iuris Romani scientia alienum? Sin prouinciam absque vllo imperio nec ciuili, nec militari obtinuerunt à senatu, totum ergo quod habuerũt imperium, legi curiatæ acceptum ferendum fuit. Itaque verum non erit, quod tu tam sæpe nobis inculcas, legem curiatam proprie pertinuisse ad dandum imperium militare, quod extra magistratũ esset.

15

Relinquuntur quidam, qui neque ex magistratu, neque post magistratum, sed ex priuatis, non in prouincias, sed ad bella cum imperio mittebantur aut consulari aut pratorio: vnde proconsules ac propratores dicebantur.

PERMVLTA sunt in his paucis verbis, quæ reprehendam. primùm quòd non videtur Sigonius intelligere significationem vocabuli prouinciæ, quãdo hæc duo su-

mit quasi opposita, aut certè longè diuersa, in prouincias mitti & ad bella mitti. prouinciæ nomine latinè intelligitur omne munus alteri delatum, omne negotium alteri mandatum, ídque siue priuatim, siue publice. in re priuata sæpe Cicero hoc verbo vsus est, vt pro Cælio. *Sed non dubito quin sint pergraues, qui primùm sint talis fœminæ familiares: deinde qui eam prouinciam susceperint, vt in balneas contruderētur.* Et paulo post. *Hoc fuit totum consilium mulieris, hæc istorum prouincia, qui rogati sunt.* Et lib. 6. in Verrem. *Ascendit in oppidum Artagathus homo nobilis, qui à suis & amari & diligi vellet: ferebat grauiter illam sibi ab isto prouinciam datam.* In publico verò negotio quodcunque alicui mandatū esset, siue in vrbe, siue extra vrbem, prouinciæ nomen vsurpari, non est ad probandum ei difficile qui apud Liuium obseruare voluerit in singulorum annorum decernendis prouinciis, perinde vrbana negotia prouinciarum nomine appellari, atque externa. & quibus iurisdictio tantam obtigerat, non minus suam sortiti prouinciam dici, quam quibus bellicum negotium obtigisset. Cicero eo ipso in loco quem paulo ante citauit Sigonius ex 5. lib. in Verr. de prætura vrbana loquēs ita scribit. *Neque illud rationis habuisti, si fortè expergefacere te posses, eam prouinciam quam tueri singulari prudentia atque integritate difficile esset.* Et pro Murena. *Egregia & ad consulatum apta prouincia.* Contra verò quibus bellicum tantum negotium datū erat, obtinuisse prouinciam vbiq; apud Historicos scribūtur: alioqui toto il-

lo tẽpore quo nulla adhuc regio fuerat in formam prouincię redacta, non rectè dicuntur consules singulis annis in prouincias mitti? Siquidem ad bella tantum mittebantur. Qui aduersus Ligures tam multis annis missi leguntur, qui aduersus reges Macedoniæ, Illyrij, Asiæ, Epiri, Ponti: qui aduersus Karthaginenses, aduersus piratas, aut gladiatores missi in historia scribuntur, nonne omnes verum fuit in prouincias missos? & tamen ad bella tantum mittebantur. Quorsum igitur illa Sigonij verba pertinẽt. *Non in prouincias sed ad bella cum imperio mittebantur?* Quasi vero ad bellum cum imperio mitti, non sit in prouinciam mitti. Cum enim illi non magis haberẽt prouinciã in qua ius dicere possent quam hi, pariter vtríque negandi fuerunt prouinciam obtinuisse, aut pariter vtríque dicẽdi suam habuisse prouinciam. Nisi forte iurisdictionem in prioribus illis agnoscat in eoquod in suo exercitu ius dicerent. At si imperium quod in iurisdictione fuit sitũ, in eo satis agnosci possit, quod illi suis militibus iuris dicendi potestatẽ haberent, (vt certe habebant: ex quo recuperatores dare, ius que in castris præsertim cum in hibernis essent dicere sæpe in historia reperiuntur) nihil adferri potest cur non eadem ratione hi qui ex priuatis ad bella missi sunt, iurisdictionem habuisse cõcedantur. Nullus enim imperator vnquam exercitus fuit qui non eam potestatem haberet, suis militibus iuris dicendi. Ex quo efficitur perinde his tribuendum esse ciuile

(quod Sigonius vocat, imperium, atq; illis. Deinde illud mihi probari non poteſt quod ſcribit, *Vnde proconſules ac proprætores dicebantur.* Videtur enim præcipuam ſignificationem proconſulis ac proprętoris in his agnoſcere, quę non eadem ſit in aliis. quaſi alio modo procõſules aut proprætores appellarētur qui ſtatim ex magiſtratu aut aliquo poſt magiſtratum tempore, in prouincias mittebantur, quam qui plane ex priuatis. Et quaſi alia verbi proconſulis notio ſit cum dico Pompeium proconſulem fuiſſe in Hiſpania aduerſus Sertorium, & cum eundem dico aduerſus piratas proconſulem fuiſſe. Et quaſi proconſulatus ſignificatio ſit diuerſa in Scipione cum dicitur in Hiſpania proconſul fuiſſe, & cum poſtea prorogato ex conſulatu imperio in Africa procõſul fuiſſe ſcribitur. aut quaſi aliud genus imperij in primo proconſulatu hi obtinuerint quam in ſecundo. At ſi proconſulis & proprætoris vna in his omnibus fuit, ac ſimplex notio: non aliam debuit rationem conſtituere Sigonius in his quam in aliis: fruſtráque contendit hos ita diuerſos inter ſe facere, vt alios fuiſſe magiſtratus concedat, alios neget, alios imperium ciuile habuiſſe cum militari exiſtimet, alios militari tantum ornatos fuiſſe imperio cenſeat. Poſtremò cum eius prouincialium imperiorum diuiſionem intueor perſpicere nõ poſſum, ad quod ex his tribus quæ facit generibꝰ, referẽdi ſint hi qui quęſtores miſsi ſunt in prouĩciam cum imperio prætorio: vt de Cn. Piſone ſcribit Saluſtius: itémque qui ex quę-

ſtura & tribunatu, proprætores creati ſunt. vt de M. Catone in Cyprũ miſſo à Clodio legitur. Hi enim quia magiſtratum Romæ geſſerant, non poſſunt dici ex plane priuatis miſsi in prouinciam: quare ad tertium genus non pertinebunt. At ne primum quidem genus, conſulum ac prætorum proprium, ad hos pertinere poteſt: relinquitur ergo vt in ſecundo genere ſint. fatendum igitur erit Sigoni, iure geſti in vrbe magiſtratus, in prouincia poteſtatẽ in iure dicendo habuiſſe. quod quá ridiculũ ſit, nemo nõ videt. Quod enim quæſturam, aut tribunatum Romæ geſſerunt, id non potuit eis prætorium iuriſdictionis imperium attribuere. fuit ergo facienda quadripartita diuiſio Sigonio, vt omnia, quæ fingit, genera complecti poſſet.

16.

Iudicium non habebant, quia prouinciam in qua ius dicerent, non habebant.

QVOD magiſtratus fuiſſe negat, ſatis ſuperque à me ſupra haud verum eſſe demonſtratum eſt. Itémque de illis Ciceronis locis ex lib. de legibus, ac diuinatione, multa à me diſputata ſunt, vt ea male à Sigonio eſſe intellecta docerem. Nunc pauca de iuriſdicendi poteſtate adiiciam ad ea quæ paulo ante à me de ea re dicta ſunt. Magiſtratus nõ fuit inquit Sigonius qui iudicium nõ habuit. Quicunque autem prouinciã non habebant in qua ius dicerent, iudicium non habuerunt: Ex his non vides Sigoni

quid necessario efficiatur! Quicunque ergo prouinciam non habuerunt in qua ius dicerent, magistratus non fuerunt. Atqui tu idem scribis in ea demum prouincia ius dici, quæ in formã, prouinciæ redacta esset. Omnes ergo qui in Macedoniam, qui in Hispaniam aliásque prouincias missi sunt priusquã in prouinciæ formã redactæ essent, magistratus non fuerunt: tametsi consules aut prætores eas prouincias obtinuerunt. Non vides Sigoni in quæ tu te induas incommoda? Ego vero contra ex historia docere possum eos ius dixisse qui exercitum habebant in iis regionibus quæ in formam prouinciæ nondum erant redactæ. T. Flaminius cum iam quinto anno in Macedonia esset, quo aduersus Philippum regẽ profectus erat, scribitur à T. Liuio libr. 4. dec. 4. totum hiemis tempus iure dicẽdo consumpsisse. Atqui Macedonia non facta est prouincia nisi post victum à Q. Metello Macedonico, Pseudophilippum. Quid si illum ipsum Scipionem, qui pro exemplo abs te sumitur doceam ius in Hispania dixisse in illo suo primo proconsulatu? A. Gellius pr. cap. lib. 7. de P. Scipione Africano priore ex Oppij & Higini historiis, ita scribit. *Assidebat oppugnabátque oppidum in Hispania situ mœnibúsque ac defensoribus validum & munitum, re etiam cibaria copiosum: nulláque eius potiundi spes erat. Et quodam die ius in castris sedens dicebat atque ex eo loco id oppidum procul videbatur. Tũ ex militibus qui in iure apud eum stabant, interrogauit quispiam ex more, in quem diem locúmque vadimonium promitti iu-*

beret. Et Scipio manum ad ipsam oppidi quod obsidebatur arcem protendens. Perendie inquit sese sistant illo in loco: atque ita factum. Die tertio in quem vadari iusserat, oppidum captum est. Eadem die in arce eius oppidi ius dixit. Hanc eãdem historiã narrat Valer. Max. lib.5. cap.7. his verbis. *Nam cum oppidum Badiam circumsederet, tribunal suum adeũtes, in ædem quæ intra mœnia hostium erat, vadimonium in posterum diẽ facere iussit. continuóque vrbe potitus & tempore & loco quo prædixerat, sella posita ius eis dixit.* Vadimonia promitti, ius dici tum in castris tum in oppido, nunquid videntur Sigoni ad iurisdictionem pertinere? Iam vero Sigoni cũ erant Romani in fœderatis aut stipendiariis oppidis (vt erãt permulta illis in locis in quibus bellum gerebatur, antequam tota regio prouincia facta esset) Non multas oriri potuisse controuersias existimas inter fœderatos aut stipendiarios illos, ac ciues? itémque inter socios latini nominis & ciues? postremo inter ipsos ciues, de castrensi peculio, de legatis à commilitonibus factis, & huius generis aliis rebus? At de iis rebus decernere aut iudices dare quid erat aliud quam iurisdictio? Si ergo huius iuris dicẽdi potestatẽ habuerũt omnes imperatores Romani, necessario efficitur vtriúsq; prætoris Romani, vrbani inter ciues, peregrini inter peregrinos & ciues potestatẽ iurisdictionis penes omnes Romanos imperatores fuisse: tãtum abest vt nullam iurisdictionem habuerint. Ac si velit Sigoni⁹ nominatim sibi ꝓbari Octauianũ ipsum, in quo suæ opinionis firmamentũ

niti videtur, iurifdictionem habuiffe, cum in Galliam miffus eft, ita habeto. Verba S.C. erãt vt C. Cæfar effet proprætor eo iure quo qui optimo nullus ergo vnquã proprætor plus iuris habuit quam C. Cæfar. ex quo efficitur aut non optimo iure proprætorem fuiffe, aut nullam partem imperij prætorij ei defuiffe. Quin autem iurifdicẽdi poteftas prętorij imperij pars effet, nemo ambigit. Relinquitur ergo, C. Cæfarem iuris etiam dicendi poteftatem habuiffe.

17.

Cum imperio ergo appello, cum poteftate exercitus habendi bellíque gerendi.

EMMO verò ego fupra demõftraui illud cum imperio effe, aut mitti, fignificare idem quod effe, aut mitti cum maiore quædam coercendi imperandíque poteftate: quæ poteftas vim, effentiámq; magiftratus conftituit. Ita vt imperium dare idem fit, quod ex priuato magiftratum facere, vt publicam imperandi poteftatem habeat, qui ante nõ habebat. In hoc verò imperio quin ineffet rei militaris poteftas in quibufdam magiftratibus non nego: fed non effe haud fignificationem verbi imperij contendo. Sed quia nemo potuit fuis aufpiciis bellum gerere quin magiftratus effet, propterea dari imperium, aut cum imperio mitti hoc eft, fieri magiftratũ prius oportuit, quam quifquam rei bellicæ poteftatem haberet: neque aliud verba Ciceronis fignificant cùm dicit fine imperio

exercitum

exercitum haberi, bellum geri, rem militarem administrari non posse, illud enim sine imperio significat sine publica rempub. gerendi auctoritate, atque adeò sine magistratu. Quia enim priuatus nemo poterat iure ea facere, quæ C. Cæsar fœcerat, idcirco eum faciendum esse magistratum censuit Cicero, vt iam iure liceret quod ante non licebat. Neque verò alia iudicanda est verborum significatio in eo loco quem citat Sigonius ex oratione de suppliciis in Verrem. *Cum inueniretur nemo qui in illa loca cum imperio mitteretur.* Verbum enim imperij eandem habet eo in loco significationem, quam sexcentis aliis in locis: vt scilicet publicam iubendi, coercendíque potestatem significet, quodcúmque negotium pro imperio gerendum esset. ipsa vero negotia, quæ pro imperio geri poterant, non constituũt vocabuli imperij notionem. Dic quæso bona fide Sigoni an aliud significat nomen imperij hoc loco, quam cum in eadem oratione scribitur. *Nõ tibi idcirco fasces & secures & tantam vim imperij.* quid enim est vis imperij aliud quam vis illius potestatis imperandi quæ publice Verri data erat? item cum scribit. *Cum penes te prætorium imperium ac nomen esset.* Quid imperiũ prætoriũ aliud sibi vult præter potestatẽ imperandi talẽ qualis in prætore esset? Item cum scribit. *In ea prouincia quãcum imperio obtinebas.* An aliud intelligi potest nomine imperij quã maior illa iubẽdi coercendíq; potestas, quam Verres habebat in prouincia administranda? proferre tibi innumera-

biles prope locos possum ex omnib⁹ latinis scriptoribus, in quibus imperium hoc semper vno modo sumitur. Retinenda ergo tibi fuit illa cum omni antiquitate imperij significatio, non fingenda noua quædam huius verbi notio, vt negotia quæ pro imperio gererentur, ipsius imperij significationem constituere diceres.

18.

Adde quod qui ciuilem adeptus potestatem erat, quæ magistratum ipsum attingebat, is in vrbe manebat: qui cum imperio erat, quoniam exercitus habendi potestatem obtinebat, idque parum ciuili tutum libertati putabatur: is statim ex vrbe egredi, & aut in prouinciam, aut ad bellum delatum proficisci, aut ad vrbem cum imperio manere iubebatur.

HIC ego subtilitatem Sigonij in explicanda Romana antiquitate multipliciter requiro. Cum enim certum sit omnes singulorum annorum consules ac prętores ciuilē potestatē fuisse adeptos, oportuit ex Sigonij decretis, omnes singulorum annorum consules ac prætores in vrbe manere. quod est contra omnem historiæ fidem. Deinde vero ex iis quibus prouinciæ decretæ erant, etiā cum iam eas sortiti essent, nonnullis videmus liberum fuisse in prouinciam non ire, vt Ciceroni & Hortensio: nonnullos legimus sua deprecatione fuisse excusatos ne in prouinciam irent, vt apud Liuium lib.pr.d.5.M. Popilius cum Sardiniam sortitus esset: alios cum in contione iuras-

sent, se solenni sacrificio prohiberi, ita prouincias suas deposuisse, vt apud eundem Liuium eodem illo in loco P. Licinius Crassus citeriorē Hispaniam, & M. Cornelius vlteriorē. Et cum, post legem Semproniam, cōsulibus iā antequā designati essent, decretæ essent prouinciæ, tamen postremis temporibus cōsules in prouincias extremo demum sui consulatus anno proficisci solitos legimus. Quid? quod sæpe peregrinis prætoribus simul cum iurisdictione aliam quandam reipublicæ prouinciam mandatam reperimus? Quid quod cōsules quosdam legimus cum prouincias sortiti essent, aliis negotiis fuisse impeditos, ne in prouinciam irent? Apud Liu. lib. 2. dec. 5. L. Posthumius Albinus Cos. ligures prouinciā habet, legiones ei decretæ sunt, & tamen ad recognitionem agri publici missus, consumpta æstate in recognoscendis agris, ne visa quidē prouincia, comitiorum causa Romam rediit. neque ei prorogatum imperium legitur, sed consulibus anni insequentis eadem prouincia decreta est. Quid quod apud eundē Liuiū lib. pr. dec. 5. de C. Claudio Pulchro cōsule scribitur, cū iā Histriā sortitus esset scripsisséntq; procōsules M. Iunius & A. Manlius Histros à se esse deuictos, pacem petere obsidésque dedisse. *Hæc inquit Liuius, cum Romæ cognita literis proconsulum essent, C. Claudius cōsul veritus ne forte ea res prouinciam exercitúmque sibi adimeret, non votis nuncupatis, non paludatis lictoribus vno omnium certiore facto collega, nocte profectus, præceps in prouinciam abiit.* Si adimi potuit iam de-

creta alicui prouincia atque exercit⁹,vt hæc verba significãt,ob eámque causam præceps in prouinciã abiisse dicatur C.Claudius:idémque paulo post Romam ex prouincia rediisse scribatur ad solennia vota in capitolio nuncupanda,paludatósque lictores accipiendos:hæc inquam omnia nonne argumento sunt profectionis in prouincias tempus, in voluntate magistratuum fuisse?non autem eam ob causam statim in prouinciam exire iussos, quod ab iis periculum libertati communi immineret. Nam si quando aliquos apud Liuium reperimus primo quoque tẽpore in prouincias ire iussos aut ad maturandũ vt in suas prouincias peruenirẽt,monitos : nũmquã huius extraordinariæ iussionis aut admonitionis ea redditur causa quæ à Sigonio fingitur, quia parum tutũ ciuili libertati putaretur diutius in vrbe manere eũ qui exercitus habẽdi potestatem haberet:sed quia in ea quã sortiti erant prouinica aliquid accidisset, cur primo quoque tẽpore eo quod acciderat incommodo Rempub. subleuare,magistratus oporteret. alioqui exeũdi in prouincias tempus fuit magistratibus semper liberum. Quam enim ridiculum sit quod fingit Sigonius, ad euitandum illud periculum quod imminebat libertati ciuili ab iis quibus erat potestas exercitus habendi, idcirco eos statim ex vrbe egredi iussos:vel hinc intelligi potest,quòd rempub.Romanam hoc modo facit nũquã metu qui à suis magistratibus immineret, liberam fuisse. nullus enim annus erat quo nõ in prouin-

cias aliqui cum imperio mitterentur aut certe quin aliqui magistratibus prouinciæ decernerẽtur. Deinde vero cum data erat potestas habendi exercitus, quem vel in prouinciam ex dilectu Italiæ duceret, aut in ipsa prouincia cõscriberet, aut aduocatis aliunde auxiliis conficeret, non simul dabatur potestas exercitum intra vrbem habendi: sed ea perpetuo lex erat omnibus obseruanda, qua vetabatur ne intra vrbem exercitum imperare, classémque procinctam intra pomœrium habere liceret. vt hoc omittam quod cum destinato tantum hoste bellũ mandabatur, certis finibus prouincia definebatur, numerus exercitus, omnísque in eum sumptus præfiniebatur. Quid ergo ciuili libertati ab hoc exercitu qui in locis longe ab vrbe remotis fere semper indicebatur metuẽdum erat? Nam si exercitum prope vrbem esse periculosum fuit, quomodo iubẽdo imperatorem vrbe exire eo se metu liberabat respub. cum vt scribit Sigonius licuit ei imperatori ab vrbem cum imperio manere? quasi minus periculi sit ab eo quem ad vrbem cum exercitu esse licebat, quã ab eo cui si in vrbe maneret, non licebat exercitum habere. Postremo cur tu ab omnibus qui cum imperio in prouincias mittebantur pariter metuẽdum fingis: quasi omnibus decerneretur exercitus, qui in prouincias cum imperio mittebãtur: aut quasi omnibus pro suo arbitrio liceret quantum vellent exercitum in Italia scribere.

19.

Quod si triumphum impetrasset, tum quoniam triumphare sine exercitu non poterat, exercitum autem haberi sine imperio non licebat, imperium autem militare in vrbe non concedebatur, propterea lex ad plebem de imperio eius diei ferebatur.

DEVS bone quid audio? Sigonius antiquitatis Romanæ diligētissimus obseruator hæc scriptis mādare nō erubuit? Triumphare sine exercitu nemo poterat? At quoties in Liuiana historia legim⁹ quosdā triūphasse q nō deportassent exercitū? quoties diserte scriptū reperimus sine vllo militum comitatu triūphasse? Vt lib. pr. dec. 4. L. Furius prætor de Gallis nullis sequentibus militibus triumphauit. Et libro 4. dec. 4. M. Heluius de Hispania vlter. in qua exercitum reliquerat, ouans vrbem ingressus est, eiúsq; successor Q. Minutius de eadē paulo post triumphauit, cum consuli M. Catoni exercitum tradidisset. Item lib. 8. dec. 3. C. Claudius vna cum M. Liuio collega triumphauit sine militibus, cum eius exercitus Annibali vt esset oppositus in prouincia māsisset. Item lib. 9. eiusdem decadis L. Manlius proconsul ex Hispania reuersus sine exercitu, ouās vrbem iniit. Eodémque illo in loco Liuius aperte docet quibusdam licuisse triumphare nō deportato exercitu, modo perdomitam pacatámque prouinciā successori tradidissent. Eius hæc verba sunt. *Rerū gestarū magnitudo impetrabilē faciebat triūphū, exemplū*

obstabat: quod ita comparatum more maiorum erat, ne quis, qui exercitum non deportasset, triumpharet: nisi perdomitam pacatámque prouinciam tradidisset successori. Quod vero eos qui ouantes vrbem ingrediebātur, sine exercitu omnes fere reperim⁹ ouasse, satis argumenti est, eam legem quæ de imperio eorum ferebatur, non eo pertinuisse quo dicit Sigonius, vt exercitum habere liceret. ferri vero legem de imperio etiam ouātibus docet Liuius cū de M. Marcello ita loquitur lib. 6. dec. 3. *Tribuni pleb. ex auctoritate senatus ad populū tulerūt vt M. Marcello quo die vrbem ouans iniret imperium esset.* Dixerat autē paulo ante eum iussum fuisse successori exercitum tradere. Quod si obseruasset diligentius Sigonius, in omni historia nunquam reperiri legem hanc de imperio, iis fuisse latam qui sui magistratus anno triumphabant, sed iis modo qui proconsules aut proprętores essent: huius legis perferendæ eam causam esse agnouisset quā ego, supra demonstraui: nempe vt quos legibus Romanis vrbē ingressos oportebat esse priuatos, ij vt ne eo die quo vrbem triumphantes aut ouantes, inirent, priuati essent, sed magistratū eo die retinerēt. Qui enim dictatores cōsules aut prętores erāt, imperiū toto sui magistrat⁹ tēpore retinebāt tam in vrbe quā extra vrbem: ideóque vt eis imperium esset nō erat rogandus populus: sed tantū S.C. opus erat quo triūphus eis decerneretur, aut si quādo impetrare à Senatu nō poterāt, interdū ad populū cōfugiebāt, nō vt de eorū imperio iuberet, sed de triūpho tātū.

Atque vt posthac credat Sigonius, legem illam de triumphãtium imperio ferre, non significare id quod dicit, de militaris rei gerendæ potestate, locum adducã ex Valerio Maximo vnde id perspicere poterit. locus est in 3. cap. lib. 2. *Moris erat ab Imperatore triumphum ducturo coss. inuitari ad cœnam: deinde rogari vt venire supersedeant: ne quis eo die quo ille triumphauerit, maioris in eodem conuiuio sit imperij.* Si cõsules vrbanum tantum imperium, vt vult Sigonius habuerunt, qui verò triumphabat tantum militare imperium, quid fuit verendum ne si consules adessent maius in conuiuio imperium esse putaretur? neque enim maius imperium in tam diuerso genere imperij intelligitur: sed vnum genus imperij in vtrisque intelligi necesse est, vt verum sit hũc maioris imperij esse, quam illum. Significat ergo imperium, illam imperandi potestatem quam quis quia magistratus esset habebat, quam potestatem quia coss. omnium maximam habebant, ne præsentia consulum vim imperij in triumphante imminuere videretur, idcirco ne cõuiuio adessent rogabãtur.

20.

Et Cic. pro Sextio. Erat Pompeius ad portas, erat cum imperio, rectè. Nam Hispanias procos. obtinebat.

Hoc est μνημονικὸν ἁμάρτημα Sigoni. Nihil tale de Pompeio extat in illa oratione: sed nec esse potuit. Nam Hispanias ex secundo consulatu obtinuit: oratio verò pro Sextio habita est Marcellino & Philippo coss.

anno superiore quam iterum consul esset Pompeius. Sed hęc quæ significas, de Cęsare scribuntur, qui Gallias prouinciam habebat.

21.

Atque eodem etiam pertinere verba Cn. Pompei ad Senatum, à quo missus aduersus Sertorium erat cum à Senatu stipendium peteret. Equidem fateor me ad hoc bellum maiore studio quam consilio profectum.

PRAECIPITEM suam in prouinciam profectionem accusat illa in epistola Pompeius. quòd præ nimia parendi celeritate non prouiderat de suorum militum stipendio à senatu decernendo: tantum vt exercitu repente comparato in prouinciam primo quoque tempore veniret, maturasse: nec dum attribueretur sibi ad exercitum retinendum pecunia expectarat. Itaque locus ille debuit Sigonium admonere dispensationem ærarij planè in Senatus potestate fuisse, ita vt vbicunque sumptus ex ærario faciendus esset, Senatus decreto indigerent, qui in hoc genere aliquid obtinere vellet, tametsi imperium à populo obtinuissent, ac lege etiam curiata ornati essent. Neque enim lex curiata quicquam pertinuit ad ærarij dispensationem, sed ad religionem quandam auspiciorum tantum. Itaque hæc mera sunt somnia quæ scribit Sigonius, eum, qui legem curiatam haberet, publico sumptu in prouinciam profectũ fuisse, qui non haberet, suo: quasi verò de sumptu aut stipendio lege curiata aliquid iuberetur, ac non

totum id pertineret ad S. C. de ornandis prouinciis, de quo tam frequens est mentio apud Latinos scriptores. Sed hæc postea amplius disputabuntur. Nunc satis sit docuisse ridiculam esse illam conclusionem quam elicit ex illa Pompei ad Senatum epistola.

22.

Quod si ijdem consules prætoréſque in prouincias quas S.C. obtinuerint, proficiſci voluerunt, eos neceſſariò noua curiata de imperio lege ornari oportuiſſe existimat.

EGO verò Sigoni nego me vnquam existimasse id quod dicis, sed iis modo qui non in magistratu sed post magistratum erant prouincias administraturi, ad transmittendum imperium, aliam quandam legem curiatam fuisse perlatam: idque ita mihi probabile videri semper scripsi, non asseueranter affirmaui: cúm alterum ego semper affirmauerim, vt ego nunc quoque magis ac magis cōfirmo: omnibus magistratibus qui quidem populi essent, ac non plebis tantum, præter iusta comitia centuriata aut tributa, legem curiatam fuisse adhibitam propter quandam auspiciorum religionem. De illo altero rationes aliquot attuli, quæ in eam partem vt potius inclinem, me adducunt, ego tamen ita semper assensionem sustinui, vt non pertinaciter asseuerem, sed tantum mihi probabilius ita videri dixerim, vt in eo me amplius doceri facilè passurus sim: maximám-

que habiturus ei gratiam qui me ex illa dubitatione ad certam fidem reuocauerit. tantum abest vt mutare ſententiam in ea re ſim veriturus.

23.

An omnibus magiſtratibus in prouinciam profecturis lex curiata de imperio neceſſaria fuerit.

AD illas rationes, quas in prima reſponſione attuli nihil addam, tantum quam euidenter doceant neceſſariã fuiſſe magiſtratibus qui rem bellicam gererent legem curiatã demonſtrabo. Cũ ſcribit Cic. cõſuli ſi legẽ curiatã non habet rem militarem attingere non licet. Dic mihi Sigoni quam vim habet illud, non licere, aliam, niſi vt ſignificet per ius, per mores, per inſtituta maiorum non poſſe conſulem attingere rem militarem ſine lege curiata? Iam vide quid concludam. Conſuli nõ licet rem militarem attingere ſine lege curiata. Ergo ſi quis vnquam obtinuit rei bellicæ gerendæ ordinariam poteſtatem ſine lege curiata, id obtinuit quod non licebat. Et ſi quis vnquam voluit abſque lege curiata hanc poteſtatem ſe habere, voluit quod ſibi iure non licebat. Locus etiam T. Liuij qui à me ex contione Camilli citatus eſt idem hoc apertè demonſtrat. Quomodo enim verum erit comitia curiata rem militarẽ continere, ſi iure potuit geri res militaris à magiſtratibus abſque vllis comitiis curiatis? Aut ſi carere comitiis curiatis in rẽ militari potuerunt Romani: ſi nullo iuris auſpiciorum incommodo potuerunt à magiſtratibus rem bellicam gerentibus omitti: quam vana

ac futilis est ratio Camilli, qua ex eo conatur persuadere non posse salua auspiciorum religione mœnia vrbis Romę relinqui, quia curiata comitia quæ rem militarem continerent, non possent auspicato alibi haberi quam vbi assolerent? Neque verò satis mirari possum inconstantiam Sigonij: qui cùm paulo ante Salustij locum, vbi dicit nullius earum rerum consuli ius esse sine populi iussu, ita interpretatus sit vt dicat præter illud S.C. nobile, nullam fuisse aliam imperij militaris obtinendi rationem, quam per legem curiatam: nunc repente mutata sententia, non fuisse ad illud imperium iure obtinendum necessariam consuli legem curiatam, scribat. Age verò Sigoni num tibi hæc aientia & negantia videntur, nulli consuli ius fuit vllam partem rei bellicæ attingere extra vrbem sine lege curiata, & alicui ius fuit sine lege curiata bellicum imperium obtinere in prouincia? Debuisti ergo vt tibi constares, sic interpretari verba Salustij, consuli non fuit ius, id est nō fuit commodum, non fuit vtile rei priuatæ ipsius, propter sumptum qui ei ex priuato faciendus erat, nisi curiatam legem pertulisset. Sic enim hæc posteriora cum prioribus conuenissent. Sed illam interpretationem neminem fuisse laturum perspicis. Quapropter necesse est, vt te aut præfracte pertinacem esse fateare, qui contradicentia defendas, aut valde obliuiosum, quia quod ante dixeris, paulopost te id dixisse non memineris.

24.

Ego verò dico Appium legem curiatam popoſciſſe, non tam vt legitimum haberet imperium, quam vt ornatam viatico prouinciam obtineret.

SI vera ſunt quæ modo diximus nulli conſuli licuiſſe, nulli conſuli ius fuiſſe rem militarem attingere ſine lege curiata, id quoque verum ſit neceſſe eſt, Appio nec licuiſſe, nec ius fuiſſe rem militarem attingere abſque lege curiata. vt ergo legitimũ imperium obtineret op⁹ ei fuit lege curiata. Quod ſi hoc i⁹ fuit: præter ius erat, id quod dictitabat Appius. Itaque quod aduerſus hoc ius, legis Corneliæ obtentu vtebatur, id aut verum hac in re nõ fuit, quia ius legis Corneliꝩ non tollebat ius legis curiatæ: aut lege Cornelia dicendum eſt abrogatũ fuiſſe ius legis curiatæ. quod falſum eſſe, vel hinc intelligi poteſt quod ſi per legẽ Corneliã abrogata fuiſſet lex curiata, tanto ſtudio nõ contendiſſet Appius, vt ſibi legem curiatam perferre liceret: nec vera fuiſsent eo tempore quo pronunciantur verba Ciceronis in ſecunda agraria. *Conſuli ſi legem curiatam non habet rem militarem attingere non licet.* Erat enim octodecim ante annis lata lex Cornelia, quam Cicero conſul eſſet. Non debuit ergo Sigonius ex eo quod reperitur Appius aliquid nouũ atque inuſitatum cõtendiſſe, nouũ ius facere, aduerſus perpetui iuris tenorẽ, ſed potius ita Appij factum interpretari, vt ius perpetuum conſeruaret, Appium verò accuſaret

in eo quod falsò obtenderet legem Corneliam ad ius nouum sibi constiruendum. Quod enim nouum ius sibi constituere vellet Appius, ea causa est cur de eo videmus quasi de noua quadam re Ciceronem ad amicos scripsisse, Lentulum, fratrem & Atticum.

25.

Sic enim locutus est etiam in libris de oratore. Tertium genus etiam si opus est, tamen minus est necessarium: cum de demonstratiuo genere loqueretur vtili potius ciuitati, quam necessario.

HIC ego Grammaticos apello Sigoni an illud opus esse eam habeat in illo Ciceronis loco significationem quam dicis. nnm potius eandem quam vbique apud Latinos scriptores, vim habeat: vt opus esse id dicatur quod in re quaq; requiritur ac desideratur, quod conuenit, quo indigemus, quo carere nõ possumus. Verba sunt Antonij in secundo de Oratore quæ citat Sigonius, quæ ita habent. *Nam illud tertium quod & à Crasso tactum est, & vt audio ille ipse Arist. qui hæc maximè illustrauit, adiunxit, etiam si opus est, tamen minus est necessarium.* Quid? quod genus laudatiuum opus esse dicit, vtrum significat ciuitati vtile esse? an potius ad perfectionem quidem artis oratorię, eo genere carere nos non posse, sed tamen non esse necesse, vt in diuidenda artis materia, vnũ per se genus constituat? ídque ita esse, quæ ab eo paulo post dicuntur, cũ rationem reddit huius suæ reiectionis, contra

Ariſt.Craſsíque ſententiam, aperte indicant. In nullum certè ego vnquam locum incidi,in quo illud opus eſſe aliud ſignificet quā vt id quod facere res poſtulat,facere op⁹ eſſe dicatur:quódq; mihi aliter facere non licet,id mihi facere opus eſſe : omninóque id quo carere non poſſum , id mihi opus eſſe dicitur. Cicero libr.2. epiſto.ad famil.ad Curionem ſcribens. *Dux nobis & auctor opus eſt.* id eſt reliqua omnia cum nobis ſuppetát, duce & auctore egemus:nec tantum vtilem eſſe ducem & auctorem vult Cicero, ſed plane hic requiri vt carere non poſsit. Apud Saluſtiū mature facto opus eſt. Cicero 2.de Orat.paulo poſt hunc locum . *Si vt Græci ſcripſerunt, ſummi inquit Catulus oratoris,ſi vt noſtri,nihil opus eſt oratore:ſatis eſt non eſſe mendacem.* Cum Diogenem rex Alexander rogabat vt diceret,ſi quid ſibi opus eſſet: hoc ſcilicet rogabat,an aliqua re indigeret.

26.

Ergo habebo etiam ex lege Cornelia imperium ſine lege curiata.Verū non ita commode.Nam meo mihi ſumptu ſine publico viatico erit proficiſcendum. Siquidē alio loco,hoc ipſum declarat:cum inquit Appius, ſine lege ſuo ſumptu in Ciliciam cogitat.

PRÆTER legē Curiatam magiſtratibus in prouincias profecturis , ſenatuſcōſulto opus fuit,quod S.C.de ornandis prouinciis appellabatur’vnde apud Liuium libro.3.dec.4. *Diſceptationē inter prætorem,legatúmque,conſulū relatio interrupit : qui ſuas*

ornari prouincias, priusquā de prætoris exercitu ageretur, æquum censebant. Hos verò consules, A. Posthumium Albinum & C. Calpurnium Pisonem paulo ante dixerat, Ligures prouinciam habere. Idem Liuius libro. 2. decadis. 5. *Ante hunc consulem, nemo vnquam sociis in vlla re oneri aut sumptui fuit. Ideo magistratus mulis tabernaculísque & omni alio instrumento ornabantur.* Hinc etiam illud Suetonij de Cæsare. *Ex prætura, vlteriorem sortitus Hispaniam retinentes creditores interuentu sponsorum remouit. Ac neque more neque iure, antequam prouinciæ ornarentur (sic enim legendum: non, vt legitur, ordinarentur) profectus est.* In quo Suetonij loco obseruandum est, Cæsarem, tametsi iam sortitus esset prouinciam Hispaniam, ob id tamen dici neque more neque iure profectum fuisse, quod sine. S. C. de ornandis prouinciis sit profectus. Apud Ciceronem verò huius S. C. frequens est mentio. Vt libro. 4. ad Att. *Consules flagrant infamia, quod C. Memmius Cādidatus pactionem in senatu recitauit, quam ipse & suus competitor Domitius cum consulibus fecisset: vti ambo Hs. quadragena consulibus darēt si essent ipsi cōsules facti, nisi tres augureis dedissent qui se affuisse dicerēt cū lex curiata ferretur, quæ lata non esset: & duos consulares qui se dicerent in ornandis prouinciis consularibus scribēdo affuisse, cum omnino ne Senatus quidem fuisse.* Qui sanè locus admonere potuit Sigonium, vehemēter Appium laborasse: nō modo vt legem curiatam, sed etiam vt S.C. obtineret de ornandis prouinciis: quando ob vtrumque illud, ad infamem illā pactionem deuenerit.

rit. Ex quo etiã potuit Sigonius intelligere verba Ciceronis quæ ab eo ex alia epiſtola citantur *Appius ſine lege, ſuo ſumptu, in Ciliciam cogitat*, ſic eſſe accipienda: vt quod dicitur ſine lege, ad curiatam legem referat, quod vero ſuo ſumptu, ad S.C. de ornandis prouinciis. Huius S.C. meminit ad finẽ libri. 3. ad. Att. Cicero. in tota illa epiſtola, cuiꝰ initiũ eſt, *Antea cũ ad me ſcripſiſſetis veſtro côſenſu cõſulares prouincias ornatas eſſe*. In tertia etiã epiſtola lib. 2. ad Q. Fra. *Interim reiectis legationibus in idus, referebatur de prouinciis quæſtorum, & de ornandis prætoriis*. In Piſonem.. *Prouincia exercitu & pecunia inſtructa & ornata*. Quo etiam pertinet illud quod apud Liuium ſcriptum eſt libro. 7. dec. 1. de. C. Martio Rutilio primo dictatore de plebe dicto. *Id verò patribus indignũ videri, etiam Dictaturam iam in promiſcuo eſſe: omníque ope impediebant, ne quid dictatori ad id bellũ decerneretur, pararetúrue. Eo promptius cuncta, ferente dictatore, populus iuſsit*. Quia enim ærarij diſpenſatio erat in ſenatus poteſtate, propterea inanẽ dictaturam Rutilij plebei ita ſe exiſtimabat redditurum ſenatus, ſi nihil decerneret ad bellum Hetruſcum, cuius terrore vt dictator diceretur decreuerat. Quòd verò id ſcribit Rutilium obtinuiſſe à populo quod à Senatu non potuerat, id argumento eſt, extra ordinem id factum eſſe. Quo magis id verum eſſe confirmatur quod dixi, ordinarium id fuiſſe vt penes ſenatum eſſet omnis diſpenſatio ærarij quemadmodum etiam diſertè docet Polybius.

27.

Atque hanc consuetudinem nescio an Dio quoque attigerit libro lij, cũ de prouinciarum rectoribus scripsit. Antiquitus qui munus publicum gerendum suscipiebant ij omnia quæ ad imperium pertinerent de suo suppeditabant. Augusto autem imperante, illi certam accipere mercedem cœperunt.

NON te pudet Sigoni, quæ tu animi causa finxeris ea bonis scriptorib' attribuere? An vnquã tale aliquid scripsit Dion quale tu ei affingis? ante Augusti tẽpora qui in prouincias mittebantur de suo suppeditasse omnia quæ ad imperium pertinebant? quo nihil falsius est. Quid enim? pecunia attributa magistratib' in prouincias ituris de qua tã frequẽs mẽtio apud scriptores omnes, quo pertinebat? Quid frumẽtum quod magistratibus in cellam decernebatur, & huius frumenti nomine, præstitutum à Senatu pretium? Quid quod paulo ante ex Liuio citaui, muli tabernacula, quę consulibus decerni ex publico mos erat? Quid quod Cicero lib. 5. epist. ad famil. scribit ad Mesciniũ Ruffum qui suus in Cilicia quęstor fuerat? *Tu de Hs. centũ æquo animo ferre debes, & existimare eo minus ad te vel de tuis cibariis vel de mea liberalitate peruenisse.* Nunquid ille locus apertè indicat, cibariorum nomine magistratibus & eorum comitibus pecuniam decerni solitã, qua ipsi pro arbitrio vterentur? idem in frumentaria scribit, magistratibus & legatis frumentum in cellam imperari

ſolitum Dionis locus quem ſignificat Sigonius ita habet. λαμβανέτωσαν δὲ μισθὸν πάντες οὗτοι οἱ τὰς ἔξω τῆς πόλεως ἀρχὰς ἐπιτρεπόμενοι, πλείω μὲν οἱ μείζους ἐλάττω δὲ οἱ καταδεέστεροι, μέσον δὲ οἱ μέσοι. οὔτε γὰρ ἀπὸ τῶν οἰκείων διον στε ἐστιν αὐτοὺς ἐν τῇ ἀλλοτρίᾳ ἀποζῆν, οὔτ᾽ ἀορίστῳ καὶ ἀσταθμήτῳ ἀναλώματι ὥσπερ νῦν χρῆσθαι. Quę verba ſunt Męcenatis cõſiliũ dãtis Cęſari Auguſto ne imperiũ deponat: ſimúlq; rationẽ qua optime Remp. Romanã adminiſtrare poſſet præſcribẽtis: quibus verbis Mæcenas, ſuadet certã mercedem ex publico magiſtratibus prouincialib⁹ eſſe aſſignandã, pro ſui cuiuſq; imperij ratione. idque ad immenſam illã ærarij impenſam minuendam, qua ad hunc diem vſi erant magiſtratus, cũ pro ſuo quiſq; arbitrio in rationibus referendis expenſos ærario referret quoſcũq; ſumptus feciſſent. vt enim attributę omnis pecunię magiſtratibus rationes reddẽdæ eſſent, in ſuos tamẽ ſumptus quãlibet ſummã in ſuas rationes referre propemodũ liberũ erat. Quod vero de reſcindendis immenſis illis ſumptibus cõſiliũ daret Mæcenas, verba illa ſatis indicãt, οὔτ᾽ ἀορίστῳ καὶ ἀσταθμήτῳ ἀναλώματι ὥσπερ νῦν, χρῆσθαι illud enim ὥσπερ νῦν aperte demonſtrat immẽſa ac nullo modo definita impenſa vti ſolitos fuiſſe magiſtratus: tãtum abeſt vt verum ſit quod ſcribit Sigonius, de ſuo omnia ſuppeditaſſe quæ ad ſuum imperium pertinerent. Hoc ergo noui moris inducere volebat Mæcenas vt ſingulis magiſtratibus pro ſui imperij modo, decerneretur merces, ac velut certum ſtipendium: quod nunquam ante factum erat. Quod enim antę

iis decernebatur, non mercedis stipendiíue loco decernebatur, sed de omni quam attigerant publica pecunia rationes his reddendæ erant, neq; vllum caput rationum erat quo in magistratus stipendium, expẽsum ferretur quippiam. neque enim merere stipendia ipsos magistratus ad illũ diem auditum erat. Hac vero ratione Mæcenas singulari prudẽtia & magistratibus consulebat, ne illis faciendus esset de priuato vllus sumptus: & ærario interim prouidebat, detracto immẽso illo sumptu qui à magistratibus fieri solitus erat. Hæc sunt longe diuersa à tuis commentis Sigoni: quæ tamen Dionis germanũ sensum aperiũt.

28.

At Cicero inquit Gruchius, paulò post subiicit, Sunt qui putent te non posse decedere, quia sine lege curiata tibi succedatur, ex quo declaratur legem curiatã non vtilitatis gratia necessariam fuisse, sed iuris.

NON est in his verbis argumenti mei vis quæ à Sigonio recitantur: sed in iis quæ ab eo omissa sunt: cum scribit Cicero continuò post, hæc verba. *Mihi non tam de iure certum est (quãquam ne id quidem valde dubium) quam illud ad tuam summam amplitudinem, dignitatem, liberalitatem, qua te scio libentißime frui solere, pertinere te sine vlla mora prouinciam successori concedere.* His verbis dico Ciceronẽ apertè indicare si ius modo quærendum esset, id non dubij iuris fuisse, quin posset Lentulus si vellet manere in prouincia, aut ei aliquem præficere, quia sine lege Cu-

riata ei succederetur ab Appio. Vnde efficitur ad legitimum obtinendum imperium legem curiatam pertinuisse, ac non vtilem modo rei priuatæ ipsius magistratus fuisse.

29.

Quid? Nonne Appius consul quoque ius nouit? At hic & in sermonibus & in senatu dixit, consuli legem curiatam ferre opus esse, necesse non esse.

CERTE Appius nouerat ius, ob ídque omni ratione contendebat vt legem curiatam ferre posset. At sępe præter ius nobis cognitum aliquid noui iuris inducere contendimus. Appius ille, qui cæcus est appellatus, nesciebat scilicet lege Æmilia octodecim mensibus censorię potestatis tempus finitum fuisse! Attamen quod ille noui iuris inducebat, ex lege duodecim tabularum defendebat, qua lege cautum erat vt quod postremum populus iussisset, id ius ratúmq; esset. Quod vero à populo censor creatus esset, id populum iussisse multò post legem Æmiliã perlatam: ideóq; se illa lege Æmilia teneri non posse. Idem tibi iudicandum fuit Sigoni de hoc Appio Consule quod de illo Appio censore. Cum enim vtérque nosset quid iuris ordinarij esset, per calumniam & vitiosam alterius iuris interpretationẽ, nouum sibi ius facere volebant.

Proconsules & proprætores alij in prouincias ad ius dicendum & bellum si res tulisset gerendum missi sunt qui magistratus fuerunt. Vt Cn. Pompeius procos. in Asiam M. Cicero in Ciliciam. Alij verò ad bellum tantum & hi magistratus non fuerunt, sed cum imperio fuisse dicti sunt.

HÆC omnia satis supérque sunt à me refutata. Vnum hoc non potui hoc loco præterire, quod scribit, Cn. Pōpeium procōsulem in Asiam missum ad ius dicendum simul & ad bellum gerendum. Quis enim historicus scripsit legem Maniliam de alia re fuisse quam de bello Mithridatico Pōpeio demandādo: sed ita vt etiam in alienis prouinciis imperiū haberet. Quasi verò in prouinciis quæ tum pacatæ erant & à Mithridate non occupatæ, non essent alij proconsules qui ibi ius dicerent eodem tempore quo bellum Mithridaticum gerebat Pōpeius. vt Glabrio in Bithinia & Martius Rex in Cilicia. illud verò cui persuadebis Sigoni, magistratū fuisse Pompeiū per legem Maniliam, non fuisse magistratum quādo legę Gabinia aduersus Piratas missus est? lege enim Gabinia ad bellum, non ad ius in prouincia aliqua dicendum mittebatur. Et Q. Metellus qui cos. ad bellum creticum missus est, non erat magistratus scilicet, quia prouinciam vbi ius diceret non obtinebat.

31.

Neque Suetonius scripsisset in Tiberio, Nemine cum imperio, aut magistratu tendente quoquam quin Rhodum diuerteret.

HIC Suetonij locus parũ te iuuat Sigoni. omnes enim qui in prouincias ibãt cum imperio, magistratus etiam fuerunt, sed non contra, qui cum magistratu in prouincias ibant, omnes cum imperio fuisse, verum est. cuius generis erant quæstores, qui cum magistratu in prouinciis erant, at cum imperio, id est cum maiore illa coercendi potestate, nõ fuerunt. Vult ergo Suetonius non modo eos qui cum imperio in prouincias ibant Rhodum diuertisse ad visendum Tiberium, sed etiam eos qui cum magistratu, in quo imperium non esset.

32.

Nec Liuius iterum lib. 42. locustarum tantæ nubes à mari vento repente in Apuliam illatæ sunt, vt examinibus suis agros latè operirēt. ad quam pestem frugum tollendam Cn. Sicinius prætor designatus cum imperio missus ingenti agmine hominum ad colligendas eas coacto, aliquantum temporis absumpsit. Neque enim illud Sicinij imperiũ, magistratus imperium dici potest, cum ille magistratum nondum iniisset, sed adhuc designatus prætor esset.

MISSVM esse Sicinium cum imperio Sigoni, estne cum belli gerendi potestate missum esse? Dignum certè imperatore, dignum legionibus negotiũ. Erat scilicet ei cum

locustis bellum gerẽdum graue & periculosum. Magno hic duce opus erat, & armato exercitu: ne scilicet inermes à locustis arroderẽtur. At si illud cum imperio mitti, quam vim habet rectè intelligeres, in hæc tam absurda non incideres. Aliud enim nihil significat mitti cum imperio, quam mitti cum quadam iubendi coercendíque potestate: quæ profectò fuit ad hoc negotium necessaria. neque enim illa hominum omnis generis multitudo à priuato cogi potuit, vt ad locustas colligendas conueniret: sed hic imperio, hoc est publica iubendi auctoritate opus fuit. quam auctoritatem publicam imperandi habere quia idem est quod magistratum esse, idcirco hunc Sicinium dico cum huic negotio pręfectus est, factum fuisse ex priuato magistratum: sed qui certè magistratus nihil ad præturam quam sequenti anno gessit, iure inter ciues & peregrinos dicendo, pertinuit. sed hoc peracto negotio Romam rediit, non ad triumphum, Sigoni, magnus imperator, re bene gesta: sed ad præturam ineũdam ad quam iam antè designatus erat. Ex quibus efficitur tuã conclusiunculam captiosam esse: nondum Sicinius magistratum inierat, ergo quod datum est ei imperium, magistratus imperium non fuit. quasi verò nisi prætor esset non potuit esse magistratus: ne extraordinarius quidem: qualis certè fuit hic Sicinij magistratus.

33.

At iidem proconsules à Cice. magistratus vocantur, sit id sanè: quod nullo modo esse contendo.

PERMVLTOS ego suprà locos citaui ex Cicerone, ex quibus verum esse intelliget Sigonius quod contendit nullo modo esse.

34.

Est tamen intelligendum querelam illam Senatum ad ea quæ antea factitata essent, non quæ postea fieri cœpta sunt, retulisse. Ante Martium enim qui à populo imperium acceperãt, curiatis comitiis omnes acceperant consules prætores ac dictatores. Nam de priuatis ante P. Scipionem vix quenquam inuenias.

QVERELA Senatus erat, teste Liuio, quòd Martius proprætorẽ se scripsisset cùm hunc honoris titulum ab exercitu, à quo non licebat, accepisset, ac non à populo, cuius solius erat imperium dare. itaque subiicit. *Rem mali exempli esse imperatores legi ab exercitibus & solenne auspicatorum comitiorum in castra & prouincias procul ab legibus magistratibúsque ad militarem temeritatem transferri.* Ex his verbis perspicuũ est iniquam esse querelã Senatus, si fieri potuit vt aliter quis imperator fieret quam comitiis populi. Et quoniam non fuit satis Liuio dixisse comitia, nisi epitheton auspicatorum adderet, ex eo colligitur auspicatis quibusdam comitiis imperatores creari, solẽne fuisse. Hoc verò solenne

fuisse quid aliud significat quam non fuisse fas per religionem, non fuisse ex legibus moribúsue Romanis æquũ aliter imperatores creari quam auspicatis comitiis? Nã si vel Martius vel ali⁹ quiuis ꝓpretoris imperiũ obtinere potuit sine auspicatis comitiis, iniusta est querela Senatus, qui aliquid noui iuris in caussa Martij postulet. Quod verò scribit Sigonius vix quenquam inueniri qui ex priuato imperium obtinuerit ante hunc annum quo P. Scipio in Hispaniam missus est, id verò est insignis Romanæ historiæ ignorationis. Liuius libro decimo Decadis primæ. *Alij duo exercitus haud procul vrbe, Hetruriæ oppositi? Vnus in Falisco alter in Vaticano agio. Cneus Fuluius & L. Posthumius Megillus proprætores ambo statiua in iis locis habere iussi.* Et lib. 3. *Proconsulem T. Quinctium subsidio castris cum sociali exercitu mitti.* & libro 3. Dec. 3. T. Octacilius 4. anno secũdi belli Punici, postquam ex Sicilia quam biennio, prætor quidem priore anno, posteriore, proprætor obtinuerat Romam reuersus est: ibíque Duumuir factus ædem Mentis dedicauit: post eam dedicationem rursus scribitur missus in Siciliam cum imperio, vt classi preesset. Ex quo apparet ex priuato eum hoc imperium obtinuisse. T. etiam Manlius Torquatus bis quidem consul censórque fuerat, sed tum certè priuatus erat quando missus est cum imperio in Sardiniam ad rem gerendam, quoad Mutius qui prætor illam prouinciam obtinebat conualuisset. Iam ego te rogo Sigoni, hi omnes nónne ante hunc annum quo Scipio in Hispa-

niã est missus à populo illa imperia obtinuerũt, cũ priuati essent? At si tributis tãtũ comitiis imperiũ obtinuerũt, verũ nõ fuit ante Martij proprætoris tẽpus oẽs imperatores auspicatis comitiis fuisse creatos. necesse ergo est vt aut fuisse auspicata comitia tributa quibus à populo imperiũ obtinuisse cõperiũtur dicas, aut fateare præter tributa, adiũcta etiã fuisse curiata. Nã priuato alicui solis curiatis comitiis tũ datũ fuisse imperiũ, ex eo verũ non esse conuincitur, quod passim in historia legim⁹ Plebiscito & data & ꝓrogata huiusmodi imperia fuisse. Porrò autẽ priuatorum duo genera fingere vt alios dicas priuatos esse qui nullum adhuc magistratum gesserunt, alios qui gesserunt, & ridiculũ est, & ad hanc rem nihil pertinet. Quam enim fingere caussam posit Sigonius cur cum pariter ad bellum gerendum mitterentur, ac pari imperio vtrique, aliis bina comitia adhiberentur tributa & curiata, alij vnis tantum comitiis tributis crearentur?

35.

Militare verò imperium, id est sacramento milites adigendi, exercitum habendi bellúmque gerendi ius, in vrbe quidem sine summo Senatuscõsulto, extra vrbem sine prouincia aut lege curiata nequaquam consequi potuisse.

QVÆ est ista disiũctio Sigoni, sine prouincia aut lege curiata? satísne fuisse existimas alterum horũ consules habere, vt militaris imperij ius obtinerent? Ergo si prouincia consuli decreta esset,

ipsa datio prouinciæ, ius militaris imperij conferebat, etiam absque lege curiata: aut verò si curiatam legem haberet, tametsi nulla ei decreta prouincia, tamen militare imperium obtinuit. Vide quæso Sigoni, quæ inde consequantur incommoda. primùm enim tollitur funditus ex Rep. vsus legis curiatæ in consulibus, præsertim post legem Semproniam de consularibus prouinciis perlatam. nulli enim post illam legem consules esse potuerunt, quibus non essent suæ decretæ prouinciæ antequam designarentur. Habuerunt ergo imperium militare consules antequam designati essent. Deinde vt regrediamur ad illa tempora quæ ante legem Semproniam fuerunt, paucissimos consules reperies quibus non vel iis designatis, vel statim inito magistratu decernerentur prouinciȩ. habuerunt ergo à Senatu omnes imperium militare, nec populi iussu vllo modo ad id ius obtinendũ eis opus fuit. planéque ius imperatorum creãdorum in Senatus, nõ in populi aut plebis potestate fuit. Iam verò si per legem curiatam absque prouincia obtinuerunt imperium militare extra vrbem, dic quæso Sigoni quorsum illud imperium? aut quo profecturus erit cum imperio qui nullam prouinciam habet? An vnquam fando auditum est, magistratum extra vrbem bellicum imperium habuisse nulla ei decreta prouincia? An infinitum imperium habuit belli extra vrbem quocunque in loco, & aduersus quoslibet gerendi? an potius meræ hæ nugæ sunt?

36.

Efficeretur vt imperium ipsum militare non magis curiatæ legi quam centuriatæ deberent. at curiatæ legi imperiũ acceptũ retulerũt, centuriatæ magistratum.

QVOMODO hæc cum superioribus conueniunt Sigoni? Paulo ante dixisti dationem prouinciæ ius dare imperij militaris, legem verò curiatam non ad ius imperij pertinuisse, sed ad priuatam magistratuum vtilitatem: nempe vt ne suo sumptu in prouincias irent. nunc dicis magistratus, imperium militare legi curiatæ acceptũ retulisse.

37.

Ad hæc verò si consulatus solus non prouinciæ adeptio aut legis curiatæ de imperio latio coss. ipsos exercitu instruxisset, certe Cæsar & Bibulus tum cum in consulatu de Rep. dissidebant nõ edictis & obnunciationibus consularibus, sed exercitibus & armis inter se contendissent.

HOC argumento nihil leuius est Sigoni nihil magis futile. neque enim qui potestatem rei militaris in prouincia habuit, erat legibus solutus vt intra pomœrium posset instructum exercitum habere. Quod enim Cæsar fecisse legitur, vt armis obnunciantem collegam foro expelleret, id nec iure nec more fecit: tametsi iam antè à senatu ei decreta esset prouincia Syluæ & calles vt inquit Suetonius. nec dubium est quin Bibulus si armis vincere se pos-

posse Cæsarem sperasset, per vim repulsurus fuisset, vim à Cæsare factam. At cum vi superior esset Cæsar, propterea domi se continuit Bibulus, tantum (id quod iam solum ei restabat) per edicta obnunciabat.

38.

Nam quin prouinciales pretores iurisdictionem reique militaris potestatem habuerint, verum illam centuriatis comitiis hanc curiatis acceptam, planè non dubito.

QVID ais Sigoni? qui non statim ex Prætura in prouincias ibant, ij non æquè erant prętores prouinciales atque illi qui in prætura profecti erant? An non simul & iurisdictionem & rei bellicæ potestatem pariter atque illi habuerunt? hanc ergo iurisdictionem vis eos cẽturiatis comitiis obtinuisse? at nos plebiscito illos cum imperio missos apud Historicos legimus. An ius magistrat⁹, quem vel decennio antè gesserant, in iis conseruatum est vt nullo populi iussu opus esset ad obtinendum, nunc magistratum? At extraordinaria fuerunt hæc omnia imperia. vt de suo in Cilicia proconsulatu apertè indicat Cicero. ex quo efficitur legibus solui oportuisse qui eos magistratus obtinebant. Atqui legibus solui nisi à populo nemo poterat, & vetere iure, & iure à C. Cornelio Tribuno plebis relato. non potuerũt ergo sine populi iussu hi magistratum iure obtinere.

Sed quoniam contra ius vetus interdum Senatus absque populi iussu legitur quosdam legibus soluisse, multo magis consentaneum erat Sigonium dicere à Senatu eos magistratum accepisse, quam centuriatis comitiis.

39.

De militari verò tribunorum militum imperio respondeo.

QVÆ scribit Sigonius de imperio tribunorum militum, vera sunt, sed meã aduersus illum obiectionẽ magis impediunt quam dissoluunt. Quod enim de tribunis militum obiectum à me fuerat, eo pertinebat vt docerẽ militare imperium in magistratibus non semper rem esse diuersam à magistratu, quemadmodum scripserat Sigonius. Siquidem tribuni militum imperium militare haberent, & in eo ipso magistratus eorum totus positus erat. At non habebant inquit imperium ducis, sed ministri, qui ducis mandato obtemperaret. Hoc est imperij vim maiorem in vno esse docere quam in altero Sigoni, non autem rationem reddere cur cum vterque magistratus esset, qui imperium habere diceretur, in vno tamen esset in ipso magistratu insitum imperium, in altero non esset: quæ erat mea quęstio. verum ne tibi hoc relinquatur effugium, quid de Duumuiris naualibus dicturus sis cogita. Hi enim imperium militare habuerunt, quod ad rem militarẽ pertinebat (inquit Liuius eodem illo in loco vbi

trib.militum tribuit impetium) neque vero illorum fuit ministri imperium sed ducis.in his ergo quomodo militare imperium à magistratu seiũges? Quomodo hic vnis comitiis magistratum dari aliis comitiis imperium excogitabis? Hos enim & belli gerendi ius habuisse & bellum suis auspiciis gessisse Liuius tũ alibi docet, tũ verò apertissime statim initio lib.pr.dec.5. & lib. decimo dec.4.cũ ita scribit. *Duũuiri nauales creati Cn. Matienus & C.Lucretius nauesq́; iis ornatæ sunt: Matienoque, cuius ad Gallicum sinũ prouincia erat, impetratum vt classem in Ligurum oram duceret.* Et paulo post *Et à Matieno Duumuiro naues eius generis in Ligustica ora 32.captæ sunt.*

40.

Hoc loco ex eo scire cupio, primũ quomodo aliquis poßit esse imperator exercitus, qui non præsit exercitui.

QVI castris, aut prouincię pręficiebantur à magistratu, hi exercitui pręerãt, cui ustamen imperatores dici proprie non poterant: quia penes eos quorum auspiciis rem gerebant imperiũ esset. propterea ego non satis esse putaueram dixisse exercitui præesse, nisi adiunxissem, cuius quis esset imperator: ne scilicet quispiam cogitaret de iis qui demandato imperio exercitui præerant, sed ad eos referret qui suo ductu suisque auspiciis bellum gererent. At Sigonius ita mea verba inuertit quasi ego dixissem aliquem potuisse esse imperatorem qui nõ præsit exercitui. Quid quæso aliud est calumniari, si hoc non est?

41.

Lubricus sane locus: sed non deest quid respondeam. primum audi quæso quid scribat Tacitus libro 4. Erat in iisdem regionibus Curtius Lupus cui prouincia vetere ex more calles, euenerat. Is disposita classiariorum copia, cœptantem tum maxime coniurationem disiecit. Num verò hic caruisse dici potest imperio, quanuis calles sortitus esset, qui classiarios conscripsit coniurationémque compreßit?

HIC toto vt aiunt, cœlo errat Sigonius. Taciti locus totus ita habet. *Eadem æstate mota per Italiam seruilis belli semina fors oppreßit. Auctor tumultus T. Curtisius, quondã prætoriæ cohortis miles: primo cœtibus clandestinis apud Brundisiũ & circũiecta oppida mox positis propalã libellis, ad libertatem vocabat agrestia per longinquos saltus & ferocia seruitia: cum velut munere deum tres biremes adpulere ad vsus commeantiũ illo mari. Et erat in iisdem regionibus Curtius lupus Quæstor, cui prouincia vetere ex more calles euenerat. is disposita classiariorum copia cœptantem tum maximè coniurationem disiecit. Mißúsque à Cæsare properè Staius Trib. cũ valida manu ducem ipsum & proximos audaciæ in vrbem traxit.* Primum igitur in citando illo Taciti loco cur aut negligenter aut potius malitiosè omisit Sigonius verbum illud, Quæstor? Hic Curtius Lupus quæstor erat Sigoni: & quam hic prouinciam habebat, quæstoria tãtum prouincia erat. Quid? habuerúntne Quæ-

ſtores militare imperium?Et quanquam ille claſ-ſiariis ex illis tribus biremibus forte oblatis vſus eſt ad opprimendam ſeruilem coniurationem, ex eo ne quod extra ordinem ac non iure ſui imperij fecit, æquum eſt colligere eum cum imperio, hoc eſt cum poteſtate belli gerendi fuiſſe? poſt occiſum à parthis M. Craſſum eius quæſtor C. Caſſius reliquum ex clade exercitum collegit, poſteáque rem bene geſſit aduerſus Parthos. quid?tune ex eo quæſtorem Caſsium imperium militare habuiſſe colliges? Sed quoniã illum locum à paucis intellectum eſſe video, non pigebit meam de eo ſententiam hic proferre. Ex ſaltibus & callibus id vectigal à Romanis colligebatur, quod ſcripturæ nomine continebatur. Erant autem huiuſmodi ſaltus & calles publicorum paſcuorũ, in Apulia & extremis illis Italiæ regionibus frequentes, vt & per ſe notum eſt & docet Liuius libro nono decad. 4. cũ ita ſcribit. *Magnus motus ſeruilis eo anno in Apulia fuit: Tarentum prouinciã L. Poſthumius prætor habebat. is de paſtorum coniuratione qui vias latrociniis paſcuáque publica infeſta habuerant, quæſtionem ſeuerè exercuit.* Iam vero nemo neſcit Quæſtorũ hoc fuiſſe munus vt publicas pecunias à vectigalium redemptoribus publicanis acciperẽt, in ęrariúmque referrẽt. Vt ergo legitur quæſtoria quædam fuiſſe aquaria prouincia in Italia, quæ in portoris redigendis cernebatur: ita ad ſcripturę vectigal ex illis extremis Italiæ regionibus exigendum, non dubium eſt quin Quęſtor mitti ſolitus ſit, cuius

prouincia calles diceretur. Calles enim dicebantur loca illa in quibus erãt pascua publica: ab eo vt inquit Varro quod pecudum callo calcarẽtur quemadmodũ etiam admonuit doctissimus noster Turnebus libro. 3. Aduersariorũ. Dicit ergo Tacitus vetere ex more Curtio Quæstori obtigisse prouinciam calles, hoc est publicorum in eo tractu saltuum administrandorum munus, ex quibus redigebatur scripturæ vectigal propter pecorum in publicis pascuis pastionem.

42.

Quid Cn. Sicinius aduersus locustas cum imperio extra ordinem missus est? consules in calles & syluas prouinciam ordine mittentur sine imperio.

NON dico Sigoni consules sine imperio missos, cum in prouinciam syluas & calles mittebantur: immo verò quia mitti cum imperio vna significatione, in omnibus qui in prouincias mittebantur sumi oportet, si in his non potest significare cum exercitu ac belli gerendi potestate mitti, ex eo concludo, nusquam id significare: sed mitti cum imperio, cõmuni significatione accipi pro eo quod est, mitti cum quadam iubendi coercedique potestate, quæ parendi necessitatem adferat. Certè vel hi duo loci quos adfers, potuerunt te de peruersa tua opinione deducere, vt non existimares cum imperio mitti, significare cum exercitus ducendi ac belli gerendi potestate mitti. Nàm Sicinius ad-

uersus locustus missus est cum imperio, & tamen si ad eam rem ei exercitum datum cogites, aut si de belli administratione in eo negotio tibi aliquid in mentē veniat, plane ridiculus sis. Idémq; de Consulibus quibus prouincia decreta erat Syluæ & Calles haud dubiè iudicandum est. Aut si cui Pontinæ paludes siccandæ, prouincia data erat. Vt cos. M. Cornelio Cethego. An. Vrb. 593. auctore Floro in Epit. 46. Hos enim cū imperio fuisse vt omnes qui in prouincias mittebantur certum est: & tamē quia huius generis erat prouincia, in qua administranda nec exercitu nec belli duce opus esset: idcirco illud cum imperio esse in his non potest significare imperatorem esse exercitus. Neque enim imperator sine exercitu (vt tu ipse fateris) intelligi potest. tu verò idem scribis imperatoris nomen vsurpasse omnē magistratum cui illud quod fingis imperium, accessisset. Illa sanè verba Suetonij tibi ponderanda fuerunt Sigoni, cum illas prouincias minimi negotij prouincias appellat. neq; enim illud minimi negotij intelligi potest in ea prouincia quæ sine exercitu administrari non posset: sed in ea quæ otiosa, omnis laboris ac periculi expers esset. At paludati inquit hi omnes exibant id est insigni imperij militaris ornati. Quid? putásne omnes qui paludati in prouincias proficiscebantur, exercitus duces fuisse? Hoc vero est quod tibi probandum fuit, solos imperatores paludamento fuisse ornatos, cum vrbe exibant. An nunquā legisti id quod Liuius scribit libro 5. dec. 5. in cō-

tione M. Seruilij pro triumpho L. Æmilij Pauli. *Consul proficiscens pratorue paludatis lictoribus in prouinciam, & ad bellum, vota in capitolio nuncupat.* Illo in loco diserte asseuerat lictores etiam horum prouincialium magistratuũ paludatos fuisse. Illúdque obseruãdum est Sigoni quod vtráq; hic coniunxit, in prouinciam & ad bellum, ne omnes fuisse belli duces existimares, qui paludati exibant. De paludatis vero lictoribus mentio est etiam lib. pr. dec. quintæ: vbi de C. Claudio cõsule ita scribit. *Claudius cos. veritus ne fortè ea res prouinciam exercitúmque sibi adimeret: non votis nuncupatis, non paludatis lictoribus, praceps is prouinciam abiit.* Et paulo post. *Quod non more maiorum secundum vota in capitalio nuncupata, lictoribus paludatis profectus ab vrbe esset.* Et paulo post. *Non vltra triduum moratus Roma paludatis lictoribus votísque in capitolio nuncupatis in prouinciam abit.* Iam verò si hoc fuit paludamentum Latinis quod Græcis Chlamys, vt rectè docet ex Plinio & Tacito Lazarus Baifius, erunt Sigoni, omnes imperatores qui Chlamydati Roma exibãt. Varro certè libro 6. insignia & ornamenta militaria esse dicit. *Ideo ad bellum cum exit imperator, ac lictores mutãt vestem, & signa incinuerunt, paludatus dicitur proficisci. qua propterea quod conspiciuntur qui ea habent ac fiunt palã, paludamẽta dicta.* Attamẽ si quis ex eo colligat omnes fuisse imperatores qui paludamento induti essent, perinde errabit ac si omnes magistratus esse dicat qui toga prætexta ornati erãt, quia legitur toga prætexta magistratus ornamentum

fuiſſe. Certum enim eſt multos ſacerdotes toga prætexta vſos, & magiſtros vicorũ, vt docet Liuius initio lib.4.dec.4.qui magiſtratus non fuerunt. Quinetiam Liuius libro primo paludamẽtum vocat veſtẽ Curiatij ab Horatio occiſi. *Cognitóque ſuper humero fratris, paludamento ſponſi.* At nemo imperatores fuiſſe ſcribit aut Horatios aut Curiatios.

43.

Habuerunt quidem, inquis, poteſtatem exercitus comparandi, ſi opus fuiſſet, exercitui non præfuerunt. Habeo quod volo ſi habuerunt poteſtatem exercitus conficiendi, ſane militare imperium habuerunt. Si exercitui iuſto non præfuerunt, quod eo opus non fuit, legatos tribunóſque militum, & præfectos in vſum rei militaris ſecum duxerunt. At cohorti ſaltem ipſi prætoriæ præfuerunt. Neque enim ſine his prætor aliquis prouinciam vllam adminiſtrauit.

MVLTVM intereſt Sigoni vtrum dicamus magiſtratus qui in prouincias ibant in eo ſummo quod habebant imperio ſimul habuiſſe inſitã rei militaris poteſtatẽ: an verò reipſa eos omnes imperatores fuiſſe, propter acceſsionem cuiuſdam imperij, quod non modo eſſet magiſtratui aduẽtitium, ſed quod non poſſet intelligi ſine aliquo exercitu cuius dux eſſet. Illud meum eſt, hoc tuũ Sigoni. Quantum autem interſit, ex eo perſpici poteſt, quod illud vt ἐν τῇ δυνάμει cõſiſtit ita in ipſo imperio aut conſulari aut prætorio eſt inſitũ.

re-

hoc vero ἐν τῇ ἐνεργείᾳ positum est: eóque non semper necesse fuit ipso actu imperatorem fuisse, qui consulare aut prętorium imperium habuit. Pompeius cum eo anno factus est annonæ præfectus quo Cicero ab exilio est reuocatus, hunc magistratum habuit cum imperio proconsulari, vt ex historia notum est. At legiones ei decretas esse ad hanc curationẽ nemo scripsit. Quid ergo fuit Pompeium cum imperio proconsulari præfectum annonæ fuisse aliud quam ministeriũ hoc ei datum esse, cum insignibus imperij consularis, siue numerum fascium cum securibus siue legatorum numerum ceteráq; imperij consularis ornamenta spectes? at legiones ei decretas fuisse, aut vero in hoc ministerio imperatorem exercitus fuisse, nec verum est, nec à quoquam memoriæ proditum. Quin tamen si vi armata alicubi opus esset in hoc peragendo negotio, exercitum pro iure illius sui imperij parare posset, non dubito. Ergo cum imperio tum fuisse Pompeium rectè scribit Cicero in prima ad Lentulũ epistola, at imperatorem exercitus tũ fuisse Pompeiũ, est falsum. non igitur idem fuit cũ imperio esse, quod rei bellicæ cum exercitu præfectum esse. Reliqua Sigonij verba insignem eius in exquirẽda antiquitate negligentiã ostendunt. Primum quod omnes prætores prouinciales dicit tribunos militum & pręfectos, ac legatos, ad vsum rei militaris secum duxisse. Deinde quod cohorti prætoriæ eos præficit quasi imperatores exercitui. De cohorte prætoria paulo post videro,

nunc prius illud exagitemus. Qui in prouinciis erant cum imperio, suos habuisse legatos verum est: sed ad vsum tantum rei militaris eos habuisse falsum est. Nam vt omnino publici ministerij adiutores essent magistratui, decernebantur legati. ideoque à Cicerone in Vatinium ministri muneris prouincialis appellantur. Et in prima ad Q. Fratrem epistola legatos Q. Fratris ministros sui imperij appellat. Et paulo post de legatis & de Quæstore loquens, his verbis eos describit. *Quos tibi comites & adiutores negotiorum publicorum dedit ipsa Resp.* Ac si pretores quidem cum exercitu missi erãt, in hoc quoque negotio legati adiutores fuerunt: at si in pacatas prouincias sine exercitu mitterentur, iurisdictionis administri fuerunt, quatenus ab ipso magistratu demãdata erat, vt verba Ciceronis in eadem illa ad Fratrem epist. significant cum scribit. *Sed tamen parui refert abs te ipso ius dici æqualiter & diligenter nisi idem ab iis fiet quibus tu eius muneris aliquam partem concesseris.* Vt omittam quæ à iurisconsultis de officio legati scribuntur, ea satis indicare multo magis horum legatorum munus in iurisdictione positum fuisse, quam in rei bellicæ administratione. Verum quod de legatis dicit Sigonius tolerabile est: quia verum fuit omnes prouinciales huiusmodi magistratus suos legatos habuisse: at illud quod de tribunis militum & præfectis dicit (si de iis quidem præfectis intelligitur qui aut equitum alis, aut cohortibus auxiliaribus præfecti erant, ac non de iis qui ex do-

mesticis à prætoribus alicui negotio in prouinciali administratione præficiebantur, quique ex cohorte prætoria erant) omnino ferri nõ poteſt. Quibus enim datus erat exercitus, eos legimus hos tribunos militum præfectóſque habuiſſe: vt Ciceroni Ciliciæ proconſuli datus erat exercitus duarũ legionũ, cum equitibus M. M. DC. ſi Plutarcho credimus. Huius etiam Trib. mil. legitur fuiſſe Q. Fuffidius, præfectus euocatorum Antonius, pręfectus Fabrum Q. Lepta: & vt qui fuerint non legeretur, tamen ſatis ſua ſponte notum eſſet, illas legiones ſiue tribunis militum, ſine centurionibus ac ceteris militaribus officiis non fuiſſe. itémque illos equites ſuos præfectos habuiſſe, qui ſingulas alas ducerent. At eos qui in prouincias ſiue exercitu miſſi erant, tribunos militum duxiſſe, aut pręfectos vel ſocialis exercitus, vel equitum, non modo ridiculum eſt ſed etiam ab omni ratione alienum? An neſcis Sigoni χιλίαρχον fuiſſe Græcis eum qui Latinis tribunus militum vocatus eſt? ex quo intelligitur minimum mille militibus pręfuiſſe. Vbi ergo ſunt mille illi milites quibus præſit tribunus militum? Quorſum quæſo alarũ præfecti vbi nullus equiratus? Quorſum pręfecti cohortium auxiliarium vbi nulla auxilia, nullus à ſociis ſcriptus exercitus? Nunquámne obſeruaſti ex Romana antiquitate tribunos militum 24. à populo creari ſolitos, qui quatuor illis ordinariis legionibus cõſularibus prouinciis deſtinatis, præeſſent? Quod ſi aliæ legiones ſcriberentur, illis à magiſtratibus

ipsis præficiebatur tribuni militum ij qui Rufuli dicebantur. Itaque erant non populi, sed magistratuum beneficia. At certè neutrum genus tribunorum in vsu fuit nisi in legionibus. Ex quo apparet, qui exercitum non haberent magistratus, nullos quoque tribunos militum habuisse, Profectò in actionbus in Verrem videmus cohortis prætoriæ, legatorum & Quæstorum qui cum Verre prætore fuerunt sæpe mentionem fieri: tribunorum militum aut huius generis præfectorum, nulla vnquã mentio. Cúmque Cicero ad Fratrem enumerat muneris prouincialis comites, legatos quæstorem & Cohortem prætoriam appellat, tribunos militum aut præfectos nunquam. quos profectò non fuit omissurus si quos secum in Asiæ administratione habuisset Q. Frater. nec immeritò. Erat enim vt scribit Cicero ad Fratrem, non magna varietas negotiorum in administranda Asia, sed ea tota maximè iurisdictione sustinebatur. Venio iam ad cohortem prætoriam: quam à cohorte militari longè diuersam fuisse, quòd nunquam animaduertisti, valde miror, Non fuit Sigoni hæc cohors prætoria ex armatis militibus, qui sacramento adacti cum imperatore ad rem bellicam mitterentur: sed vt Cicero ad Q. Fratrem scribit ex domesticis conuictoribus & necessariis apparitoribus constabat. Sic enim scribit. *Quos verò aut ex domesticis conuictoribus, aut ex necessariis apparitoribus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte prætoris appellari solent, horum non modo facta, sed etiam dicta om-*

nia præstanda nobis sunt. In hac erant lictores, scribæ, accẽsi, medici, aruspices, præcones, pictores, & huius generis ministri qui magistratibus prouincialibus apparebant. Cuius rei testis est locupletissimus Cicero cùm in Verrem toties ei obiicit datos ex cohorte sua prætoria iudices. lib. 2. *Comites illi tui dilecti, manus erant tua, præfecti, scribæ, medici, accensi, aruspices, præcones, manus erant tua: quo quisque te maximè cognatione affinitate necessitudine aliqua attingebat, ita maximè manus tua putabatur. Cohors tota illa tua, quæ plus mali Siciliæ attulit, quàm si centum cohortes fugitiuorum fuissent, tua manus sine controuersia fuit.* Et paulo post. *Cum hos sibi quæstus constituisset magnos atque vberes ex his caussis quas ipse instituerat in consilio hoc est cum sua cohorte cognoscere.* Et paulo post. *Hac copia quam dico iudicum, cohors non Q. Sceuolæ, qui tamen de cohorte sua dare non solebat, sed C. Verris.* Et alibi. *Quidquid ab eo peteretur, iudicem de sua cohorte daturum.* Cúmque in iudicio Sopatri Verrem solum cum sua cohorte nequissima relictum dixisset, paulò post subiicit. *Hominem innocentem à Sacerdote absolutum, indicta caussa de sententia scribæ, medici, aruspicisque condemnauit.* Et libro 3. *De cohorte mea reiicies inquit. Quid? ista cohors quorum hominum est? Volusij aruspicis & Corneli medici, & horũ canum quos tribunal meum vides lambere.* Item. *Recuperatores se de cohorte sua daturum minabatur. Agyrinenses viri fortissimi iudicium se passuros esse dicebant. ingerebat iste Artemidorum medicum pictorem Tlepolemum & huiusmodi recuperatores.* Et paulò post. *Hic tu medicum &*

aruspicem & praconem tuũ recuperatores dabis aut etiam illum ipsum quem tu in cohorte tua Caßianum iudicem habebas, si qua res maior esset Papyrium Potamonem. Ex his locis nónne vides Sigoni hanc cohortem prætoriam non militum fuisse: sed in ea cohorte omnes prætoris ministros & apparitores, ita numerari, vt non ad bellum ea vteretur, sed ad cetera pro suo quisque munere, aut arbitrio prætoris, ministeria? Non igitur ex eo quod magistratus habuerunt cohortẽ prætoriam ex suis ministris constantem, debuit Sigonius colligere eos fuisse ĩperatores. Alioqui omnes fuisse belli duces fatendum esset qui stipatores corporis habuisse in magistratu leguntur. Sed alia certè multa fuerunt in quibus potestas rei bellicæ administrandæ in his prouincialibus magistratibus agnosci potuit. Veluti in eo quod de Flacco Asiæ prętore scribit Cicero, eum classem ciuitatibus Asiæ ex formula fœderis imperasse, & præsidij caussa habuisse. Idémque à ceteris Asiæ prætoribus factitatum docet, præterquam à Q. Fratre qui Flaccco successit. Itémque in eo quod classem imperatam à Verre in Sicilia scribit, Cleomenémque ei pręfectum: quod prętorum Siciliæ hanc fuisse consuetudinem dicit, vt naues ciuitatibus certúsque numerus nautarum militúmque imperaretur: quod bellum maritimum prætori Siciliæ fuisse administrandum scribit: quod sub Verris imperio P. Cesetius Quęstor & P. Tadius legatus decem nauium classe nauigasse, nauémque prædonum vnam cœpisse

scribuntur: Denique in eo quod præsidiorum imperandorum, mutandorũ, dimittendorum, prout suæ cuiusque prouinciæ ratio postulabat penes hos prouinciales magistratus potestas erat. Ex his inquam omnibus multo melius quam ex cohorte prætoria doceri potuit hos prouinciales magistratus imperium militare habuisse. Verum de ea re nulla mihi est cum Sigonio cõtrouersia. omnes enim pro iure sui magistratus hoc imperium habuisse confirmo: sed de eo tantum, quod vna hac breui argumentatione concludam. Imperatorem & ducem idem omnino significasse notũ est. Ducem autem (inquit Liuius lib. 4. dec. pr.) non nouimus nisi cuius auspicio bellum geritur. Nec dux ergo nec imperator vllus intelligi potuit vbi nullum bellum gereretur. Atqui in pacatis planè prouinciis nullum bellum gerendum fuit, ideóque sine exercitu huiusmodi prouinciæ obtineri dicũtur à Liuio lib. 10. dec. 4. *Quæro inquit Tib. Sempronius de te L. Minuti cum confectam prouinciam nunties, existiméσne Celtiberos perpetuò in fide mansuros, ita vt sine exercitu ea prouincia obtineri poßit.* Qui ergo pacatis omnino prouinciis præfuerunt, imperatores ducésue non fuerũt. Attamen qui talibus prouinciis præfuerunt, omnes cum imperio fuisse dicuntur. Non ergo illud, cum imperio esse, significat imperatorem ducémue exercitus esse, quemadmodum affirmat Sigonius.

44.

Qui verò vrbanum magiſtratum gerentes in alterum annum reficiebantur, iis non prorogatum imperium dici, ſed magiſtratum continuatum, vt ſæpius Mario conſulatum: & ſi imperio militari fortaſſe prædіti fuiſſent poſt etiam imperium prorogatum.

Ego ſuprà demonſtraui in eo qui prętor vrbanus fuiſſet Liuium vſurpaſſe non ſemel hoc genus loquendi, vt prorogatum ei imperium dicat, cum inſequenti anno in prouinciam mitteretur: eóſque qui in prouincias mittebantur Romanos fuiſſe magiſtratus, communi quidem illa & generali verbi ſignificatione, docui. Sed quoniã in vrbe magiſtratum ſibi non habebant, propria autem ac primaria ſignificatione, hi ſoli magiſtratus Romani dicerentur quibus etiam in vrbe Roma imperium eſſet, idcirco factum eſt, vt diuerſo loquendi genere vterentur, in vrbanis & extramuranis magiſtratibus: ita vt in iis qui magiſtratus in vrbe eſſent, propriè cõtinuari, reficíque magiſtratum dicerẽt: in aliis qui niſi extra vrbem magiſtratus non eſſent prorogari imperium propriè loquerentur.. Hæc loquendi genera ſic fuerunt Sigonio obſeruanda, nõ ea quæ hic ſcribit proferenda. Nam qui prætor in prouinciam profectus erat in qua ius diceret, ei cum prorogabatur imperium, poteſtas eadem cõtinuabatur quam ſuperiore anno habuerat. At Sigonio poteſtas iuriſdicendi, magiſtratus eſt. reuera ergo magiſtra-

tus continuabatur: neque secus de consulibus dicendum est, quibus in prouincias profectis, in quibus iurisdictionem haberēt, si anno proximè sequente eis prorogaretur imperium, certum est non minorem hoc anno potestatē habuisse quā superiore. quod ergo prorogatum eis dicebatur imperium, id non ad militare tantum imperium pertinebat, sed etiam ad iurisdictionis imperium. Et eis ergo re vera magistratum fuisse continuatum Sigonio fatendum est. Cum igitur re nō distinguerentur continuare magistratum & prorogare imperium, verbo tamen ac loquendi genere seiuncta sunt: vt in iis modo quibus imperium postero etiam anno in vrbe continuatum esset, continuatus magistratus diceretur: in aliis verò quibus tātum extra vrbem imperium quod habebant cōtinuatum esset, prorogatum modo imperium diceretur. tametsi L. Florus de Tib. Gracchi seditione loquens in tribuno pl. qui refici voluit scribat. *Die comitiorum cum prorogari sibi vellet imperium.* Ciceronem profecto & Liuiū haud ita fuisse locuturos opinor.

45.

Si modo imperium cuiquam vnquam est prorogatum qui exercitui omnino nulli praeesset.

ETIAMNE ambigis in re apertissima Sigoni? Q. Fratri nescis ꝓrogatū fuisse īperiū quādo triēniū Asię pręfuit? At tota eius ꝓuincia in iurisdictione fuit, teste Cicerone: tantúmque abest vt exercitū

habuerit, vt ne clasſē quidē ĩperari ab aliis prę t. ſolitam ipſe imperare voluerit. Cic. ad Q. Fratrē. *Quod ſi tibi bellum adminiſtranti prorogatum imperium viderem, intelligerem etiam fortunæ poteſtatem in nos prorogatam. Nunc vero ea pars tibi reip. conceſſa eſt in qua aut nullam aut perexiguam partem fortuna tenet.* & quæ ſequuntur planè indicant nullum exercitum habuiſſe. Quid? ſemperne iis qui pacatā omni ex parte prouinciam obtinuiſſent ſucceſſor miſſus eſt? Verum quid ad rem pertinet quod dicit Sigonius? Vt enim dicamus omnes exercitui præfuiſſe quibus prorogatum ſit imperium, an propterea prorogatum iis quod dicitur imperium, ad militare tantum pertinuit imperium? an propterea in hoc dicēdi genere imperiū ſignificabit tantum belli gerendi poteſtatem? ac non potius omnem quam habebant in prouincię administratione poteſtatem: cuius ſane hoc imperium pars erat? At ſi eadem fuit in eo cui prorogatum dicitur imperium, poteſtas quæ priori anno fuerat (hoc dempto quod in vrbe nullum habebat imperium) nunquid verius eſt imperij nomine omnem illam poteſtatem ſignificari, quam partem tantum? Certè ſiquid de ea quam habebat poteſtate poſt annum ſui magiſtratus exactum deperiiſſet, ita vt tantū rei bellicæ poteſtas remaneret, non dubium eſſet, aliud nihil ſignificaret, prorogare imperium quam bellicæ rei adminiſtrandæ poteſtatem proferre. At nihil deperiſſe etiā Sigonius fatetur. Cur ego ad partem modo ſignificandam verbi imperij appellationem in hoc loquendi genere coarctat?

46.

Nam qui prouinciæ administrationem non rei militaris in prouincia obtinuerũt, eos iurisdictionem cũ imperio assecutos, tum cum prouinciam senatusconsulto, vel tributa lege adepti sunt confitemur. De illis qui ad bellum tãtum sine prouincia missi sunt repugnamus.

HIC Sigonius se immemorem esse indicat eorum quæ paulo ante scripserat neminem in prouinciam cum imperio missum fuisse, qui imperium militare non haberet: immo vero qui non exercitum aliquem haberet. At exercitũ semper habuisse falsum esse docui. Potestatem rei bellicæ omnes habuisse verissimum est. Quod ergo hic dicit falsissimũ est. Reliqua quæ ab eo hic dicuntur de iis qui ad bellum sine prouincia mitterentur, sunt à me supra refutata: totúsque ille ex quinta Philip. Ciceronis locus, abunde excussus.

47.

Si ergo minores habent auspicia, profecto habent ex curiatis comitiis: nam tributa quibus creabantur inauspicata sunt.

HIC locus postulat quoniam Sigonio rationes meæ nõ satisfecerũt, vt amplius id confirmemus: minoribus creandis magistratibus adhibendam fuisse legem curiatam. Scribit Liuius ad finem libri sexti in contione Appij. *Penes quos sunt auspicia more maiorum?*

nempe penes patres. Nam plebeius quidem magiſtratus nullus auſpicato creatur: nobis adeo propria ſunt auſpicia vt non ſolum quos populus creat patricios magiſtratus, non aliter quam auſpicato creet, ſed nos quoque ipſi ſine ſuffragio populi auſpicato interregē prodamus & priuatim auſpicia habeamus quæ iſti ne in magiſtratibus quidem habent. Plebeios auſpicia non habere oſtendit Appius, ſed ea propria eſſe patriciorum, quia & priuatim, & in magiſtratibus auſpicia haberēt patricij: plebei verò nec priuatim nec ī magiſtratibus. Quòd autem in magiſtratibus auſpicia non haberent plebei, ex eo id cōcludit, quòd nullus plebeius magiſtratus auſpicato creatur: contra vero patricios habere auſpicia in magiſtratibus probat, quod omnes patricij magiſtratus auſpicato creantur. hæc vero concluſio vt id quod vult efficiat, neceſſe eſt generale illud pronunciatum verum fuiſſe, nulla in iis magiſtratibus fuiſſe auſpicia qui auſpicato nō crearentur: ideóque quicunque magiſtratus auſpicato non creabantur, eorum nulla fuiſſe auſpicia. Ex quo conſequens eſt, quorumcũque magiſtratuũ fuerunt auſpicia, omnes auſpicato creatos. Atqui minorum magiſtratuum (qui quidem populi ac non plebis tantum magiſtratus eſſent) ſua fuerunt auſpicia, vt aperte demōſtrant verba Meſſalæ quæ ab A. Gellio recitantur lib. 13. cap. 14. Poſtquam enim dixit patriciorũ auſpicia in duas partes eſſe diuiſa, attribuítque maiora auſpicia maioribus magiſtratibus, ſubiungit hæc verba. *Reliquorum magiſtratuum minora ſunt auſpicia ideo*

hi minores, illi maiores magistratus appellātur. Necesse igitur est auspicato creatos fuisse. Porro illud certum est populi comitiis creatos fuisse minores magistratus. Si ergo tributa comitia quibus illi creabantur non fuisse auspicata demonstrauero, efficitur aliis quibusdam comitiis auspicatis opus fuisse: quæ si non centuriata fuerunt, vt apertum est, relinquitur ea curiata fuisse. Iam vero cum scribit Liuius quos populus creat magistratus patricios nō aliter quam auspicato creari, certum est patriciorum magistratuum nomine contineri omnes reliquos magistratus, qui tū erant, præter plebis proprios magistratus, atque adeo omnes magistratus quos patriciis capere licebat tametsi ad eos etiam plebei homines admitterentur. Ex quo efficitur quatuor illos quæstores, qui tum quot annis creabantur, auspicato fuisse creatos. Auspicata igitur iis creandis comitia fuisse adhibita necesse est: non centuriata, ergo curiata: atque ea vel sola si nondū tributis creabantur, vel vna cum tributis, si iam tum in iis mandandis magistratibus locum habuisse dicamus, vt mihi magis verisimile ex eo videtur, quod iamdudum frequentari cæperant tributa comitia. Neque enim quod per legem Publiliā factum est in plebeis magistratibus, vt non, sicut antea, auspicatis comitiis crearentur, idem hic factum esse dici potest: nec vero vlla iusta caussa adferri, cur post hoc tempus desierint quęstores auspicato creari: & quæ tum seruāda erant huic mandando magistratui auspicia, postea vsque

eo neglectui habita fuiſse, vt iã auſpicatis nullis comitiis daretur. Cum ergo certum ſit poſtea tributis comitiis, quæ auſpicata non erant, datum fuiſse hunc magiſtratum, neceſario relinquitur aut plane in hoc mandando magiſtratu neglecta fuiſse auſpicia, aut ad retinenda quæ ante adhibita fuerant auſpicia, retenta etiam fuiſse curiata comitia. Age vero locum Ciceronis ex ſecundo de diuinatione cõſideremus, vbi ſcribit, Romanos nõ ferè vti ſolitos auſpiciis, niſi dum à populo ea accepta haberent. Id enim minimè dubiũ eſt minores magiſtratus auſpiciis vſos fuiſse. Ergo ea à populo accepta habuerint neceſse eſt. Atqui nemo aliter à populo accipere poterat auſpicia, niſi per comitia, atque ea auſpicata: & quorum patricii (penes quos erant omnia Romana auſpicia) auctores fuerant. Porro autem nulla erant auſpicata comitia, & quorum patricij auctores eſsent, præter cẽturiata & curiata, vt docet Cicero pro domo ſua, & Liuius in eadẽ illa Appij contione, quam paulo ante citaui. nemo igitur auſpicia à populo accipiebat, niſi per cẽturiata aut curiata comitia. Si ergo minorũ magiſtratuum ſua fuerunt auſpicia, atque adeo ea auſpicia quæ erant penes patricios, vt paulo antè docui ex Meſſalæ verbis quæ à Gellio citantur, neceſſariò ſequitur, altero horum comitiorum accepta habuiſſe. non centuriatis, ergo curiatis. Ac ne quis de eo dubitet quod dixi tributa comitia non fuiſſe auſpicata, Dionyſ. Halicarnaſſeus libro 9. id apertè demonſtrat cùm de

Voleronis Publilij lege agit, qua iubebatur vt pro curiatis comitiis tributa comitia adhiberentur plebeis magistratus creandis. hoc enim inter hæc comitia docet interfuisse, quòd tributis comitiis nec S.C. opus esset, nec augurum & sacerdotum interuentu, quæ vtraque curiatis comitiis erant necessaria: atque eam fuisse causam docet cur hi Trib. pleb. Volero & Lectorius voluerint plebeios magistratus dari tributis comitiis, non amplius curiatis. Idémque paulò post scribit ad suam vsque ætatem ita plebeios magistratus fuisse creatos tributis comitiis, absque auspiciis, aut vlla religiosę ceremonię obseruatione. Quod idem ex Messalæ testimonio confirmari potest, cùm scribit, iustius curiata lege magistratũ dari minoribus magistratibus, quam tributis comitiis. Nam si suffragiorum rationem spectes, nunquam verum fuit iustiora fuisse comitia curiata quam tributa: in eóque non dubito quin adstipulator mihi futurus sit Sigonius. Restat igitur vt propter solam auspiciorum rationem hęc illis iustiora esse dicantur. Nam si etiam auspicata fuisse tributa comitia dicamus, omni ex parte fuisse iustiora curiatis verum erit. Vnde efficietur nullo modo posse defendi quod scribit Messala, iustius curiata lege magistratum dari quam tributis comitiis. Illud quidem certè negari non potest, habendis tributis comitiis fuisse obseruandum illud commune augurũ decretum, iam inde ab Romulo, receptum, vt testis est Cicero in Vatinium, quo Ioue fulgente aut tonante cum populo agi

vetabatur. Censebantur enim iam inde à Roma condita omnes cum populo actiones vitiosæ, si fulgur visum aut tonitru auditum esset. Neque id lege Ælia quæ multis post Romam conditam seculis lata est, sanciebatur: sed vt omnino pareretur obnunciationi: hoc est siue re vera de cælo seruatum esset, siue per mẽdacium ita denunciatum esset, religioni auspiciorum parendum esse. Ac si quãdo apud Romanos scriptores reperiantur tribuni aut ædil. pleb. abdicasse, quod vitio creati fuissent: de hoc contra commune vetúsque augurum decretum vitio intelligi debet. Liuius ad finem libro 10. ita scribit. *Exacto iam anno noui Tribb. plebis magistratum inierant: iisque ipsis, quia vitio creati erant, quinque post dies alij suffecti.* Et libr. 10. dec. 3. P. Ælius Tubero & L. Lectorius ædiles plebis vitio creati, magistratu se abdicarũt. Fuit enim hoc vnum in auspiciorum religione vitium, quod comitiis plebeiorum magistratuum interuenire potuit. Neque tamen ob hoc commune omnium cum populo actionum vitium, quod in iis etiam comitiis locum habuit, existimandum est, plebeiorum magistratuũ comitia fuisse auspicata: alioqui falsum esset quod dicit apud Liuium Appius, plebeiũ nullum magistratum auspicato creari. Iam verò si docuero ætate Ciceronis Quæstores, tametsi tributis comitiis crearentur, lege tamen curiata ornatos fuisse, nihil caussæ erit cur non idem in ceteris minoribus magistratibus vsitatum fuisse credamus. Cicero Philipp. secunda de quæstura Antonij

ita scribit *Quæstor es factus. Deinde continuò sine S. C. sine sorte sine lege ad Cæsarem cucurristi.* His verbis Cicero Antonij factum reprehẽdit quod aliquid præter vsitatum morem fecerit: alioqui ineptus esset qui id vitio verteret in Antonio, quod à nullo alio quęstore postulãdũ esset. Cùm ergo vsitatum esset, vt quæstoribus S.C. prouinciæ decernerẽtur, deinde vt sortirẽtur, postremò vt lex aliqua de eorũ potestate ferretur, accusatur meritò Antonius, qui hæc omnia neglexerit. hæc verò lex non potuit alia esse quã curiata. Cùm enim legẽ intelligere hic oporteat q̃ more & instituto maiorũ quæstoribus ferri soleret, nõ autem quæ extra ordinẽ: alioqui existimaretur Cicero falsò & inique reprehẽdere Antoniũ, in eo qđ sine lege ad Cęsarẽ profect⁹ esset. Porrò autẽ extra or-ordinẽ ferri legẽ quęstorib⁹ nũquã fando auditũ nunquã legendo cognitũ est. Quęstores quosdã legimus missos esse proprætore in prouincias, vt eas cũ imperio obtinerent: in eóq; populi rogatione opus fuisse, verum est: præsertim post legẽ à C. Cornelio Tribuno plebis perlatã. At vt quis non maiorem potestatem, quàm quæstoriam obtineret, populum rogatum fuisse, nulla in omni historia extat memoria. Relinquitur ergo vsitatã hanc legem, ob cuius neglectum culpatur illo loco Antonius, fuisse curiatam illam, qua dicis caussa, propter auspiciorum religionem, ornari magistratus solebant. Quoque minus dubitent de ea re cum Sigonio Romanæ antiquitatis studiosi, citabo alium Ciceronis locũ ex quo aper-

ſiſsime conuincã minores magiſtratus lege Curiata ornatos fuiſſe. Locus eſt in ſecunda Agraria: in quo ita ſcribit Cic. *Nunc quia prima illa comitia tenetis centuriata & tributa: curiata autem tantum auſpiciorum cauſſa remanſerunt.* Quod dicit Cicero Curiata auſpiciorum cauſſa remanſiſſe, nónne vt in eo de quo agitur perſiſtatur, & vt apte hæc poſteriora cum prioribus cõueniant, neceſſe eſt de magiſtratuum comitiis intelligi! Quod ſi rogem Sigonium cum hic dicit Cicero, teneri comitia cẽturiata & tributa, qua in re teneri ea intelligẽdum ſit? reſpondebit opinor, vt hæc cum iis quæ paulo ante præcedunt, conſentanea ſint, in magiſtratuũ creatione illa comitia teneri, neceſſario intelligendum eſſe. Et illud ergo neceſſe eſt, cum dicit curiata auſpiciorum cauſſa remanſiſſe, hoc velle Ciceronẽ, in mãdandis magiſtratibus (quia id eſt de quo agitur) curiata comitia remanſiſſe. Illud ergo ex hoc Ciceronis loco fatendum eſt, adumbrata illa per triginta lictores comitia, quæ in locum iuſtorum comitiorum curiatorum ſucceſſerant, in magiſtratibus creandis adhuc illa ætate locum habuiſſe, ídque propter auſpiciorum religionem. Nam ſi plane ſublata eſſent curiata in mandandis magiſtratibus comitia, falſum eſset quod dicit Cicero, ſaltem auſpiciorum cauſsa remanſiſſe. Et vt admittam Sigonij de binis comitiis interpretationẽ, quam adfert ad illa, quæ paulo ante præcedunt verba, eáque ita legam quemadmodum ipſe legit. *Nam centuriata lex coss. ferebatur cum curiata ceteris patri-*

eius magistratibus: tum iterum de iisdem iudicabatur. Nempe vt velit Cicero consules binis centuriatis olim fuisse creatos: perspicuum est saltem in quæstoribus creandis curiata comitia oportuisse remanere. Quid enim illud tantum auspiciorum caussa remansisse, aliud significat, quam quibus in magistratibus olim iustis populi comitiis vsurpabantur, in iisdem illis vmbram quandam illorum comitiorum propter auspicia esse retētam? Atqui te auctore, Sigoni, quæstoribus bina comitia olim data sunt atque eā tu Ciceronis sententiam in illis verbis esse affirmas: adumbrata igitur illa per triginta lictores comitia in quæstoribus creandis remansisse fateare necesse est. At si propter auspiciorum religionem in quæstoribus locum habuerint, an non pari ratione, non modò probabile sed propemodum necessarium est, ceteris minoribus populi magistratibus mandandis ea adhibita fuisse? Hos locos si attentius considerare voluisset Sigonius, mecum profectò sensisset Messalæ illa verba. *Minoribus creandis magistratibus, tributis comitiis magistratus, sed iustius curiata datur lege.* non aliam habere sententiam, quàm quæ à me iamdudum in libris meis de comitiis allata est, ac nuper in eo libello, quo ad eius reprehensiones respondi, confirmata: neque ad eludenda mea argumenta tam ineptam & parum conuenientē, ne dicam ridiculam interpretationem horū Messalæ verborum induxisset. Sic enim scribit Sigonius. Messalam non quod suo tempore fieret, sed

quod aliquādo factitatum esset, nec præsentem suæ ætatis morem, sed vetustum ius ipsum comitiorum spectasse. Ex quibus apparet, Messalæ verbis hunc sensum à Sigonio tribui, minoribus magistratibus, nunc quidē tributis comitiis magistratus datur, sed iustius olim curiata lege dabatur, cùm curiatis comitiis illi magistratus creabantur. Ego te Sigoni hoc primùm rogo, quem tu grammaticum eam interpretationem laturū putas, vt verbum præsentis temporis ad præteritum transferatur, & datur, quod dixit Messala, tu dabatur interpreteris? datur lege curiata magistratus, id est dabatur. Deinde quos tu noui huius generis interpretandi auctores habeas, vt cùm aliquis scriptor vno communi verbo vsus est, quod ad duo membra pertineat, ad vnum tamen membrū præsens tempus significare dicatur, ad alterum vero præteritū? Messala hic vno verbo (datur) vsus est: quod cômuniter ad vtrūq; id de quo loquitur, refertur, perīde ac si repetito bis verbo diceret, magistratus tributis comitiis datur, sed iustius curiata lege datur: sic tamen tu interpretaris, vt in illo priore membro præsens tempus significet, in posteriore præteritum. Postremò cui verba Messalæ accuratius spectanti persuadere te posse existimes, si id quod tu, dicere voluisset, eo modo fuisse loquuturum quo locutus est? ac non potius geminato ad duo tempera significanda verbo hoc modo? Minoribus magistratibus tributis comitiis magistratus datur: sed iustius olim curiata lege dabatur: præser-

tim cùm lege curiata magistratum dari tot iam (vt tu existimas) seculis in vsu esse desiisset: & primis tantum illis reip. temporibus vsurpatum. Nunc vero cum verbum datur ad vtrunque pertineat, id plane eum sensisse dicendum est, quod verbis elocutus est, minoribus magistratibus tributis comitiis magistratus datur, sed iustius curiata lege datur.

48.

Et triumuiros lege curiata fuisse ornatos nullo loco scripsi.

HÆC tua sunt verba Sigoni ex libro secundo de antiquo iure Italiæ capite secundo, vbi tu accuratissimè de Coloniis disputas. *Creabantur autem comitiis tributis omnibus tribubus aduocatis. Quare Rullo vitio vertit Cicero, quod Decemuiros suos per 17. tribus sorte eductas crearet. Atque his quidem comitiis magistratum tantum, id est potestatem ac iurisdictionem accipiebant: imperium verò id est belli gerendi facultatem curiatis. Quod enim imperio ornari soliti fuerint, docet Liuius cùm ad deducendos in agrum Thurinum colonos, Triumuiros, quibus in Triẽnium imperium esset, creatos prodit. Curiatis autẽ comitiis eos fuisse affectos, cum vetus mandãdi imperij consuetudo, tũ Rullus ipse sua lege ostendit cum decẽuiros suos agrarios per 17. tribus creatos curiata lege de imperio lata decorauit. Imperio autẽ opus fuit, quod sub vexillo colonos tanquam exercitum deducerent.* Vnde tibi tanta inconstantia Sigoni? Quid tibi in mentem venit, cur sentẽtiam nunc

mutares? At ego profeĉò tibi auctor sum, de imperio quidem quod dicis vt sententiam mutes: de lege curiata, quod scribis, in eo vt constantissime perstes. Quod enim his agrariis magistratibus imperium militare tribuis, in eo falleris: atque in eum te errorem induxit inueterata illa de significatione verbi imperij opinio: qua vbicunque nomẽ imperij occurrit, statim de rei bellicæ potestate cogitas: ob ídque apud Liuium interpretaris, in triennium, obtinere imperium id est belli gerendi facultatem. At triennium imperium obtinere idem valet (quemadmodum ego supra ex eodem Liuio docui) quod triennium magistratum obtinere. fuisse autem iis legem Curiatam necessariam, ipsa tibi auspiciorum ratio persuadere debuit. Cum enim (vt etiam recte doces ac probas) in coloniis deducendis omnia fuerint auspicato peragenda, atque adeò pullariis in hoc negotio haud secus adhibitis, quàm quomodo in actionibus bellicis ab imperatoribus eos adhibitos legimus: ex eo necessariò efficitur hanc auspicandi primariam, ac maxime sollennem potestatem, à populo fuisse accipiendam: quam certe tributis plebis comitiis accipere non potuerũt. Relinquitur ergo vt curiatis acceperint: siquidem hic de centuriatis aliquid cogitare omnino est alienum.

49.

Aliud. cum Rullus, inquit, ornauit decemuiros lege curiata, ornauit eos magistratu: ergo curiatæ legis imperium in ipso inclusum est magistratu.

HIc rursum aut nõ assequitur vim argumenti mei Sigonius, aut veteratorie dissimulat. Meum erat hoc argumentum. Ex nulla re melius intelligi potest quid lege curiata ferretur, q̃ ex ipsa formula legis curiatæ: omninóque necesse est de ea re fuisse legem curiatam, quæ ipsa legis perscriptione contineretur. Atqui legis curiatæ qua suos decemuiros ornabat Rullus, ea fuisse formula à Cicerone scribitur, *vt ij Decemuiratum haberent, quos plebs designasset.* Horum autem verborum perscriptio non de accesione imperij militaris ad Decemuiratum, sed de ipso Decemuiratu, hanc legem fuisse indicat. Decemuiratus verò totus fuit ipse magistratus, de ipso ergo toto magistratu, non de aduẽtitia accesione, fuit lex curiata, quam Rullus ferri volebat. Atqui legis curiatę, quæ fuit formula in his Decemuiris, eadem fuit in aliis magistratibus, qui lege curiata ornabantur. Quid enim causæ fingi potest, cur eiusdem legis perscriptio alia atque alia esset, ac non velut prę scriptis verbis, in omnibus eadem permaneret? Relinquitur ergo ad ipsius magistratus totum ius, solenni auspiciorum religione ornandum, legem curiatam potius pertinuisse, quàm

ad aliquod ius, quod extra magiſtratum eſſet obtinendum. Inter hanc rationem, & eam quam nobis hic proponit Sigonius multum intereſſe perſpicuum eſt.

50.

Hic ego. Cum Rullus ornauit lege curiata decemuiros, non ornauit eos magiſtratu, ſed imperio, id eſt aduētitia quadam habendi exercitus poteſtate.

DICAT hoc quantum volet Sigonius, certe Cicero aliud dicit: nempe legem curiatam ſic à prætore ferendam fuiſſe ex legis Seruiliæ præſcripto, vt ij decemuiratum haberent quos plebs deſignaſſet. ornari ergo decemuiros lege curiata, fuit hoc quod dicit Cicero de iis ferri à prętore, aut primo aut poſtremo: non quod dicit Sigonius, aduentitia quadam exercitus habendi poteſtate ornari. Nam ſi vel ante primam illam deſignationem à plebe, hoc ipſum imperium iam habituros fuiſſe eos docuero, id quoque confecero non pertinuiſſe legem curiatam quæ de his poſtea ferri iubebatur ad dandum hoc imperium quod adhuc non haberent. Attende, ergo Sigoni. Si legem ſuam pertuliſſet Rullus, iam ante decemuiros deſignatos, omnis quæ lege continebatur poteſtas horum decemuirorum, iuſſu populi conſtituta ac confirmata, lege ſciſcēda fuiſſet. Cum ergo vno aut altero capite legis Seruiliæ prætorium imperiū cum iis omnibus ornamētis, quæ à Cicerone recitantur, decemuiris daretur, neceſſario effici-

tur, vt decemuiri quicunque designati essent ex eo quod iam ante lex Seruilia accepta fuisset, omnem haberent potestatem quæ lege continebatur. At prætorium illud imperiũ, præsertim quod ad éxtramuranam prouinciam pertineret, non fuit siue rei militaris potestate. Iam ergo ante designationem, decemuiri Rulliani populi iussu militare imperiũ habuissent. Quod vero ex Plutarcho adfert Sigonius, pertinet ad docendam immensam illam potestatem extraordinariam quã suis decemuiris Rullus dare volebat: in qua potestas etiam cõscribendi exercitus si opus esset inerat. in quo plane cum Cicerone congruit, cum eis sæpe summum imperium à Rullo iis datum scribit. verumtamen si Plutarchi verba ita interpretetur Sigonius, quasi velit hos decemuiros decem exercituum imperatores fuisse, hoc profecto erit Plutarcho imponere, & à rei veritate longe latéque aberrare. Neque enim belli duces volabat creare Rullus, sed agrarios curatores: verùm cũ imperij quadam maiore vi, quàm quæ huius generis magistratibus dari solita esset: ita vt vi armata in munere suo fungendo, si qua opus esset, vti possent: eóque iis prætorij imperij ornamenta concedi volebat.

51.

Si copiis, ergo exercitu.

DEVS bone quid audio? copias illo Ciceronis loco significare exercitum cũ scribit. *Tantis confirmat opibus, & copiis, vt inuitis eripi nullo modo possit.* An tan-

tis copiis significat tam magnis exercitibus? hic scilicet immensus Xerxis exercitus nobis intelligendus est, cui nulla vi resisti posset. At vbi legionum in agrariis illis orationibus omnibus vnquam fit mentio? Quid? cum ita scribit Cicero pro Cluentio. *Omnis testium copia quæ futura est, à matre initio est adornanda, à matre nũc omnibus eius opibus & copiis comparatur.* De exercitu scilicet quam haberet mater Cluentij intelligere oportet? cum ad Att. Ita scribit. *Moderatori reip. beata ciuium vita proposita est, vt opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit.* Et de Senectute. *Tibi propter opes & copias tolerabilis senectus videtur.* Et in officiis. *Id conducit ad facultates rerum atque copias ad opes ad potentiam.* His opinor in locis omnibus Sigonius copias interpretabitur exercitus. Sane non minus ridiculũ est in hoc agrariæ loco ita copiarum nomen pro exercitu accipere, quàm in illis omnibus aliísque innumeris in quibus opes & copiæ apud Latinos scriptores coniunguntur. Nisi forte magnos istos exercitus constituit in ducẽtis illis finitoribus ex equestri ordine, qui in annos singulos dabãtur decẽuiris, vt corporis stipatores, ac potestatis ministri & satellites essent, vt paulo ante in cohorte prætoria belli duces agnoscebat.

Qui

52.

Qui enim fieri tandem potest, vt qui comitia centuriata habuerunt, vere imperiũ militare habuerint, cum neque potestatem belli gerendi, neque exercitus habendi, sed populum in centurias diuisum, quasi quendam exercitum conuocandi.

CENTVRIATORVM comitiorum habendorum potestas sine rei militaris potestate nec esse nec intelligi potuit. Vexillo enim in arce posito comitiorum caussa exercitus edici quî potuit sine imperio militari? At Liuius lib. 9. dec. 4. In contione Sp. Posthumij Albini cos. omnibus id comitiis centuriatis solẽne fuisse docet. Deinde quod Gellius lib. 15. ca. 27. scribit, centuriatis comitiis omnibus exercitum imperari præsidij caussa solitũ, nonne aperte indicat, vrbanos illos magistratus quibus ius esset imperandi exercitus, præsidij caussa, non fuisse sine imperio militari? Quod enim præsidij caussa fuisse scribitur, armatorum hominum hunc exercitum fuisse demonstrat. Quid? huius armati exercitus conscriptio factane est sine dilectu? sine sacramenti adactione? denique sine rei militaris potestate? his adde quod Dion scribit lib. 37. idem hoc quod Gellius, comitiis centuriatis oportuisse in Ianiculo armatorum hominũ prȩsidium collocari, quod illic tantisper esset dũ peracta comitia essent? Spectãda est etiã ratio quam reddit Gellius ex Lælio Fælice cur centuriata comitia haberi intra pomœrium nefas es-

ſet: nempe quia exercitum extra vrbem imperari oporteat, intra vrbem imperari ius non ſit. Rogo te Sigoni cuius fuit imperare exercitum niſi eius qui militare imperium haberet? Præterea verba Dionyſij quæ lib. 7. decenturiatis comitiis ſcribuntur, manifeſto indicant niſi ab eo qui militare imperiũ haberet hęc haberi comitia nõ potuiſſe. Verba eius hęc ſunt. ἐκάλουν μὲν οἱ ὕπατοι τὴν λοχῖτιν ἐκκλησίαν, ἱερὰ πρότερον ἐπιτελέσαντες ἃ νόμος αὐτοῖς ἐστὶ καὶ μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου τινὰ ἐξ αὐτῶν ἔτι γίνεται. συνῄει δὲ τὸ πλῆθος εἰς τὸ πρὸ τῆς πόλεως ἄρειον πεδίον ὑπό τε λοχαγοῖς καὶ σημείοις τεταγμένον, ὥσπερ ἐν πολέμῳ. ſub centurionibus ac ſignis tanquam in bello conuenire centuriatis comitiis populum affirmat. Dic ergo Sigoni qui pro iure ſui magiſtratus vocare ſub centurionibus & ſignis populum potuit, militaris imperij expers fuiſſe dici poteſt? Poſtremo auſpiciorum militarum ratio quæ in his comitiis obſeruabatur, ſatis argumenti eſt, vt horum comitiorum habendorum poteſtatem in quodam militari imperio poſitam eſſe, credamus. capiendi tabernaculi auſpicium quis non videt proprie militare fuiſſe? peremne auſpiciũ in amnibus tranſeundis Cicero de diuinatione oſtendit militare fuiſſe. At vtróque genere auſpiciorum vſos fuiſſe magiſtratus ad habenda comitia facile doceri poteſt. De auſpicio capiendi tabernaculi, frequens eſt apud Ciceronem, Liuium & Valerium maximum mẽtio. de peremni auſpicio teſtis eſt Feſtus cum ita ſcribit. *Peremne auſpicatur qui amnem aut aquam quæ ex ſacro oritur*

auspicato transit. Sic magistratus in campum euntes, vt aliquid agerent Petroniam in Tiberim profluentē auspicato transibant, quod genus auspicij peremne vocabant. Quoniam ergo his argumentis conuincimur vt negare non possimus eos magistratus quibus centuriata comitia vocandi ius esset, nō potuisse hoc iure vti, quin rem militarē attingerent: Militarem autem rem attingere magistratui nō licuit sine curiata lege vt ex Ciceronis ac Liuij verbis intelligitur: ex iis profecto necessario cōcluditur curiata lege ornatos fuisse omnes magistratus quibus centuriata comitia habendi ius esset: neque vlla sua cauillatione effugere potest Sigonius, quin ei sit concedenda hæc conclusio.

53.

Vt omittam, si vera illa non adumbrata species quædam exercitus esset, ne illud quidem imperium in vrbe, vt inquit ille, futurum: cum comitia centuriata non in vrbe, sed in campo extra pomœrium haberentur.

HÆ sunt argutiæ indignæ Sigonio: hoc est homine & literato & valde erudito. Quid? magistratus comitia centuriata habiturus, in campo Martio accipiebat, ibidémq; peractis comitiis depo nebat imperium? Quid? dilectus & sacramenti, adactio num intra pomœrium, in capitolio, aut in foro, fieri solebat? hæc verò quis negat propria militaris imperij fuisse? Habito certe in vrbe dilectu sacramentoque dato, locus ad conueniendum exercitui armato extra pomœrium edici

debuit. ſed in hoc tantũ edicendi iure, non etiã in iis quæ prius facta eſſent, imperium militare conſtituere, tam eſt ab omni ratione alienum, quàm ſi quis imperium militare non agnoſcat niſi in hoſte vincendo. Ego verò (quæ mea eſt de tua eruditione opinio) ſemper hæc à te cauillandi potius ſtudio quodã, ſcripta exiſtimabo, quam quod ita planè ſentires. Neque enim inducere animum poſſum ſedulò iſta te ſerióque ſcripſiſſe.

54.

Quid? an verò cenſorum imperium verum fuit cùm populum quaſi exercitum in campo luſtrarunt? multo minus, &c.

NON ſatisfacit Sigonio mea ratio, quam in perfecta inductione colligenda de cenſoribus attuli ex luſtri condendi ratione. Et tamẽ, vt non id quod volo διὰ ἀποδείξεως efficiat, ἐξ ὑποθέσεως tamen neceſſariò concludit. Ego enim eo accepto quod tu de agrariis curatoribus ſcripſiſti, curiata lege ob id ornãdos fuiſſe hos magiſtratus, quia ſub vexillo colonos deducerent, argumentatus ſum pariter ac multo etiam magis cenſores curiata lege fuiſſe ornandos: quãdoquidem imperij militaris ſpecies multo magis in luſtro condendo apparuit quam in colonorum deductione. Sed quoniam tu mihi videris reuocare illud quod præclaris literarũ monumentis conſignatum eſt in libro abs te edito de antiquo iure Italiæ, iam alia argumenta accipe. Primùm quod Varro de lingua Latina lib. 5.

vbi de Inlicio vocando agit, ſcribit cenſoribus fuiſſe ius, in luſtro condendo exercitum conuocandi, & ad vrbem ſub vexillo ducendi. Deinde quod centuriata comitia habendi cenſoribus ius fuiſſe ex eo Liuij loco poſſum demonſtrare, vbi libro 9. dec. pr. ita loquentem inducit P. Sempronium trib. pleb. aduerſus Appium Claudium cenſorem. *Vrbs eo luſtro capta quo demortuo collega C. Iulio, cenſor L. Papyrius curſor, ne abiret magiſtra- M. Cornelium Maluginenſem collegam ſubrogauit.* Neque enim potuit Papyrius cenſor ſibi collegam ſubrogare niſi comitiis centuriatis. Quod verò iuris habuit pro ſuo magiſtratu hic cenſor, pariter omnes cenſores habuerunt. Si ergo habendorum comitiorum centur. ius magiſtratus obtinere non potuit, qui lege curiata ornatus non fuiſſet, reliquum eſt vt concedamus cenſores lege curiata ornandos fuiſſe.

55.

Quas enim protulit auctoritates non magiſtratibus omnibus, ſed tantum dictatoribus, conſulibus, prætoribúſque, quibus res militaris eſſet reip. cauſſa tractanda, & prouinciarũ rectoribus, neceſſariam fuiſſe conuincunt. qua de re inter nos conuenit.

ROGO te Sigoni atque obteſtor vt in eo quod hic dicis perſtes: quando fateris meas rationes conuincere, fuiſſe neceſſariam legem curiatam dictatoribus conſulibus, ac prætoribus, quibus res militaris committeretur, atque omnibus prouinciarum rectoribus.

Nam & hoc pariter fateare necesse est, si rectores prouinciarum etiam ij fuerunt qui planè priuati in prouincias missi interdum leguntur, fuisse etiam iis necessariam legem curiatam, vt P. Scipioni cum in Hispaniam missus est & iis qui successores illi in eandem prouinciam missi sunt L. Lentulo & L. Manlio Acidino: & Cn. Pompeio cùm in Hispaniam aduersus Sertorium missus est, & M. Catoni cùm in expeditionem Cypri est missus, & Cn. Pisoni cum in Africam missus est, quod tu tamen paulo ante negabas: vt etiam coss. non fuisse necessariam, ex Appij cos. verbis in epistola ad Lentulum, ostendere conareris.

NICOLAI GRVCHII AD POSTEriorem Caroli Sigonij disputationem refutatio. De binis magistratuum comitiis.

VENIO iam ad disputationis Sigonij priorem partem: quæ est de vsu binorum comitiorum in magistratibus. In qua refutanda eadem ratione vsurus sum, qua in superiore: vt ad singulos locos numeris notatos, meam refutationem accommodem. Sed priusquam id aggrediar, paucis mihi videtur subiicienda comunis ratio, qua doceam meam de binis comitiis sententiam, ex iis quę de curiata lege dicta sunt, ac multis argumentis confirmata, planè stabiliri: Sigonij verò opinionem funditus euerti, Quia enim ex veterum scripto-

rum Romanorum monumentis docuimus, magistratus qui centuriatis comitiis aut tributis creati essent, lege pręterea curiata fuisse ornatos: in quo bina de singulis magistratibus comitia agnoscuntur: At quòd vnquam aut binis centuriatis, aut binis curiatis vlli magistratus creati sint, nulla in omni historia extat memoria: ex eo manifestè apparet meam sententiam certo antiquitatis testimonio esse obsignatã: Sigonij contra opinionem nullo antiquitatis testimonio nixam, pro mero figmento habendam esse.

I.

Ab exactis nempe regibus vsque ad imperium Caesaris, per annos prope quingentos, omnes magistratus binis comitiis esse creatos, patricios quidem centuriatis & curiatis, plebeios verò tributis & curiatis.

QVOD mihi nunquam in mentem venit, mihi adscribit hoc loco Sigonius. Ego enim nunquam dixi, iam inde ab exactis regibus omnes magistratus binis comitiis esse creatos. sed maiores magistratus dixi, qui à populo quidem crearentur, iam inde ab exactis regibus lege curiata ita ornatos fuisse, vt postquam cẽturiatis creati essent, ad confirmandum illis quadam auspiciorũ religione magistratum, curiata etiam adhiberentur. Quod vero ad minores attinet nunquam eos binis creatos comitiis existimaui, nisi postquam cœperunt tributis comitiis creari, ídque propter eandem auspiciorũ religionem. Postquam enim tribus latius patere

cœperunt quam curiæ, propter municipia Italiæ, colonias, ac præfecturas, quæ tribubus adſcripta erant, nec curiis continebantur: tum factum eſt vt iuſtiora populi comitia haberentur, quæ tribuum ſuffragio peragerentur, quàm quæ curiarum: ideóque vt magis ac magis populi beneficium magiſtratus eſſe cenſerentur, effectum eſt vt tributis creari cœperint. ſed quoniam inauſpicata erant tributa comitia, ne plane intermiſſa aut neglecta auſpiciorũ religio in his magiſtratib⁹ mãdãdis videretur, curiarũ ſuffragio, vt poſt deſignationem ornarentur, ad ſpeciem veteris moris ac religionis retinendam cõſtitutum erat. Hæc mea ſunt Sigoni, longe ab iis diuerſa quæ tum mihi falſò adſcribis. Nam de patriciorum magiſtratuum pro maioribus, & plebeiorum pro minoribus facta à me vſurpatione paulo poſt, vt eam tibi probem, diſputabo.

2.

Primum quia mirum mihi videtur, &c.

Dic mihi Sigoni, An non fuit iureuocatis tribubus poteſtas reſcindendi id quod prærogatiua iuſſiſſet? Cur ergo tibi mirum non videtur nullam in rerum geſtarum monumentis extare memoriam, vbi centuriatis comitiis reprehenſa ſit prærogatiuę ſentẽtia? Quin Cicero pro Murena ſcribit tãtã comitiis cẽturiatis fuiſſe religionẽ, vt ſemper omen prærogatiuæ valuerit. Certè ſi ſemper valuit omen prærogatiuę, nunquã reprehenſa eſt prerogatiuę ſententia.

At nisi aliquam extare memoriam reprehensæ prærogatiuæ à iureuocatis Sigonius videat, non credet reprehendendi potestatē iureuocatas habuisse. Quanquam in curiatis comitiis multò iustior ratio reddi posit, cur nulla extet memoria reprehensorum priorum comitiorum à curiatis, quàm in prærogatiua: quia scilicet iusta curiarum comitia iamdudum obsoleuerant, ac pro his substitutus erat 30. lictorum conuentus. At prærogatiuæ & iureuocatarum suffragium quadringentorum minimum annorū spatio obseruatum est. Desinat ergo mirari Sigonius in curiata lege id exiguo tempore non accidisse, (quantum nos quidē ex historiæ lectione perspicere possumus) quod tam longo temporis spatio in prærogatiua non legitur vsuuenisse.

3.

Deinde quia si patricij magistratus omnes, vt ille censet lecti essent centuriatis, & omnes plebei tributis, &c.

FALLAX & captiosa est Sigonij conclusiuncula ex vocabuli ambiguitate. Patricij enim magistratus pro maioribus à me accipiuntur, ídque me posse facere auctoribus grauissimis postea docebo. Sigonius ita argumentatur quasi patriciorum nomine omnes comprehenderim magistratus qui patriciis patuerunt: itáque Callipides multum sese mouet, sed nihil promouet.

4.

Præsertim verò cum patricij magistratus omnium confeßione fuerint, qui prius patriciis patuerunt, plebei verò qui tantum plebi.

NE omnium confeßione sibi persuasuadeat Sigonius patricios magistratus eo modo semper sumivt omnes complectantur in quibus patriciis locus fuit, docebo ex Cicerone patricios magistratus interdum eos modo significare qui maiores magistratus essent. Cum apud Cic. scribitur in orat. pro domo. *Auspiciáque populi Romani si magistratus patricij creati non sint, intereant necesse est.* Et in 4. ad M. Brutum epistola. *Dum erit vnus patricius magistratus auspicia ad patres redire non possunt.* Illis inquam Ciceronis in locis contendo necessariò patricios magistratus pro maioribus tantum magistratibus esse accipiendos. ídque ita doceo. Si patriciorvm nomine etiam minores illi magistratus qui hominibus patriciis patuerunt, illis in locis comprehenderentur, quandiu vel Quæstores tantum in rep. fuissent non potuisset res ad interregnum redire. Atqui ex historiæ obseruatione ad interregnum sępe res dicitur rediisse, cum maiores nulli essent magistratus, tametsi essent Quæstores aliíque minores magistratus: patriciorum ergo magistratuum nomẽ ad maiores magistratus tantum pertinuit, cum ita Romani loquebãtur, non posse rem ad interregnum redire quandiu sit vllus in Rep. patricius magistratus. Liuius

lib.3. mortuis Coss. P. Seruilio & L. Ebutio scribit rem ad interregnum rediisse. At tum in Rep. quæstores fuisse, ne Sigonius quidem negare audeat. Erat tum annus ab vrbe cond. CC X. C. Et lib.4. Cum annus trecentesimus decimus agerebat, tribuni militares consulari potestate creati sunt: iique tertio quam inierant mense augurum decreto perinde ac vitio creati honore abiere tûmque res ad interregnũ rediisse dicitur. Quis tum Romæ quæstores fuisse nesciat quandiu vnus erat patricius magistratus ad patres auspicia redire non potuerunt. Non fuit ergo quæstura patricius magistratus, ea significatione qua accipi debet, cũ dicitur non potuisse auspicia ad patres redire quandiu vllus esset patricius magistratus. aut cum apud Liuiũ alio loco eiusdẽ lib. scribitur, Remp. sine patricio magistratu esse quia sine curuli magistratu esset: qui curulis magistratus nondum eo tempore nisi in maioribus magistratibus locũ habuerat. Et lib.5. cõsulibus morbo implicitis placuit Senatui vt Coss. magistratu se abdicarent, itáque per interregnũ renouarentur auspicia. Atqui iam tũ quatuor Romæ quæstores fuisse ex iis quæ Liuius lib.3. scripserat de duplicando quæstorum numero, facile intelligi potest. Hi loci apertè ostẽdunt quæstores ceteróśque minores magistratus non fuisse impedimento quominus res ad interregnum rediret. Ex quo consequens est, cum dicimus quandiu sunt in rep. patricij magistratus non posse rẽ ad interregnum redire, minores illos magistra-

tus in numero patriciorũ magistratuũ non posse intelligi. Vnde necessario efficitur à Latinis scriptorib⁹ patricios magistratus, interdũ ꝓ maiorib⁹ magistratibus acceptos fuisse. Et plebeios ergo qui illis patriciis opponerentur pro minoribus omnibus magistratibus interdum sumptos fuisse perspicuum est. Quæ ergo à Sigonio mihi obiiciũtur de noua antiqui verbi significatione à me nulla prisca auctoritate fulto vsurpata, eius negligentiam ne dicam ignorationem coarguunt, meum peccatum nullum reprehendunt. Nã quæ de homine acutissimo amico suo qui omnia corrigendæ antiquitatis adiumenta collegit, hic inseruit, vt ad rem nihil planè faciunt, tamen quoniam Robortellum hominẽ literatissimũ significari existimo, à quo ipse nõ modo acriter sed sępe cõtumeliosè est multis in locis reprehensus, hominis bonitatem animíque moderationẽ atq; æquitatem libenter agnoui: quo magis spero erga me longe placabiliorem futurũ, à quo ne verbo quidem vllo grauiore vnquam læsus est: nisi se lædi putat cum eius non probatur sententia.

5.

Neque verò illud negligendum esse opinor, si curiata comitia centuriatis attexerentur ita vt eorum sentẽtiam ac iudicium infirmarent &c.

QVO tempore curiatis comitiis, populus suffragium dicebat, ac non adumbrata illa per triginta lictores comitia pro veris illis comitiis substituta erãt, Pop. Romanum vniuersum perinde comprehẽ-

derunt curiȩ atq; classes aut tribus. Vnde apparet nō minus populi iudicium fuisse cum curiatim suffragium dixerat quam si aut centuriatim aut tributim conuenisset. vt omittā quod ne imperium quidem militare dictatores aut consules à populo obtinuisse, ista Sigonij ratione dici posset. Atqui omnes magistrat⁹ & vrbanos & militares, à populo datos fuisse, Et Dionysius & Polybius scribunt: & omnis testatur historia. Vt ergo hos accepisse à populo imperium cum curiata lege acceperunt, Sigonius fatetur, ita iudicium populi hac in re agnoscere debuit, cum comitiis curiatis de iam designato à se magistratu, velut dicis caussa iudicabat.

6.

Atqui triginta curiæ in palatio aut certe in vrbe tantum fuerunt. quomodo igitur qui præcedentibus temporibus agrum Romanum, qui municipia.

SIGONIVS rectè docuit in tertio cap. primi libri de antiquo iure Romanorū triplicem fuisse curiarum significationē: vt locum, ius & cœtum curialium significent: cum locus significatur, id verum est quod dicit, triginta curias aut in palatio aut in vrbe tantum fuisse: Cum verò ciuium Romanorum cœtus significatur, falsum est vrbis tantum non etiam agri Romani habitatores curiis fuisse cōprehensos. idq; quia antiquitatis obseruator diligētissimus Sigonius nesciit, sic habeto. Dionysius lib. 4. de Tullij regis designatione loquens

ſcribit. Προεῖπεν ἡμέραν ἀρχαιρεσιῶν εἰς ἣν ἐκέλευσε καὶ τοὺς τῶν ἀγρῶν ἅπαντας παρεῖναι. συνελθόντος δὲ τοῦ δήμου κατὰ τὰς φράτρας ἐδίδου κατὰ μίαν τὰς ψήφους. Hícne locus ſatis apertè demonſtrat eos qui in agro Romano habitabant curiarum diuiſione fuiſſe comprehenſos, & curiatis comitiis ſuffragium dixiſſe? Et cum exacti ſint reges vndique ex agro Romano conueniſſe docet idem Dyoniſius, ferendis illis curiatis legibus quas Brutus aduerſus reges ferebat, ac de tota Reipublice conſtitutione. Certè municipia, coloniæ, præfecturæ, quæ poſtea augeſcente ciuitate ciues etiam Romanos complectebãtur, vt neque vrbem neque agrum Romanum incolebant, ita curiis non comprehẽdebãtur, ſed tribubus tãtũ atque claſſibus. eámq; ego docui cauſſam fuiſſe, cur procedẽtibus temporibus curiatorum comitiorum vſus ſit propè totus intermiſſus, niſi quod propter auſpiciorũ religionem adumbrata quædam illorum ſpecies retenta eſt: præſertim in magiſtratibus mandandis, quos aliis creare iuſtis comitiis, centuriatis aut tributis, inſtitutum erat. in aliis verò rebus quę vrbis aut agri Romani habitatorum ius propriè reſpiciebant, vt in arrogationibus, Curionũ, Flaminúmque inauguratione, ad vltima vſque Reipub. tempora, populi curiatim conuocati retenta eſſe ſuffragia exiſtimo.

7.

Num vero illud etiam vanum atque inane putabimus, quod si ita esset, efficeretur vt quod alij sciuissent, alij reprehenderent.

FACILIS est ex superioribus responsio. quia enim primis illis temporibus omnes ciues curiæ comprehenderent haud secus quam classium centuriæ: nullus Sigonianę obiectioni locus relinquitur. verũ hoc silẽtio præterire nõ possum. quod mihi egregia Sigonij doctrina indignum planè videtur. cum enim Liuius libro secũdo loquens de ea rogatione quam Volero tribunus plebis promulgauerat, vt non amplius curiatis comitiis plebei magistratus sed tributis fierent: ita scribat. *Haud parua res sub titulo prima specie minimè atroci ferebatur, sed quæ patriciis omnem potestatem per clientum suffragia creandi quos vellent tribunos, auferret.* Ex quibus verbis vim suffragiorũ penes patricios fuisse in curiatis comitiis intelligitur: quomodo aduersus, Liuij sententiam in tenuissimorum hominum potestate hæc comitia fuisse scribere audeat? profecto verum est in patriciorum maximè potestate hæc comitia fuisse, non modò per suos clientes vt scribit Liuius, sed etiam ratione auspiciorum: siquidem auctores horum comitiorum patricios esse oportuit, teste eodem Liuio & Cice. pro domo.

8.

Age verò quam verißimile illud videtur qui consul propter excellentem, &c.

ANDABATARVM more pugnat Sigonius. ſuum ipſe commentum ac non meum vllum dictum oppugnat. Neque enim vllo vnquam loco dixi nec mihi vnquam in mentem venit, adumbrata per 30. lictores comitia liberam habuiſſe ſuffragandi poteſtatem: vt poſſent id quod rogabantur pro ſuo arbitrio iubere aut nón iubere. Sed vt tantum dicis cauſſa adhibebātur, ita nulla hic ſuffragiorum libertas eſt agnoſcenda. At cum adhuc comitia illa inibat populus, ego cum Cicerone affirmo reprehendi poteſtatem fuiſſe ſi populum beneficij ſui pœniteret. Nam vt ad imperij militaris ius legē curiatam quę conſulibus olim ferebatur, tantum pertinuiſſe cum Sigonio dicamus, attamē vel populum libertate ſuffragiorū priuatum fuiſſe, contra omnem iuris populi cognitionem dicat oportet, vel potuiſſe rogatione antiquāda ei nō dare imperium qui propter excellentem etiam virtutem cos creatus, ad illud imperium obtinendum deſtinatus erat. Si ergo in hac ſuffragiorū libertate aliquid fuit incommodi, non poteſt effugere Sigonius quin eadem in incommoda ſit illi incurrendum, quæ mihi obiicit.

Quæro

9.

Quaero praeterea si curiae centuriarum decretum tollere &c.

FACILE hoc argumentũ dissoluet qui ex falsa hypothesi natum esse conspiciet. Nam triginta curiarũ lictores centuriarum sententiá potuisse reprehendere, quasi à me concessum accipit: quod verum non est.

10.

Nam si consules aeque curiatis creabantur atque centuriatis, cur haec ille iura distinxit & separauit?

Ex mea responsione quam ad eius reprehensiones scripseram potuit intelligere Sigonius caussam cur haec iura distinxit Camillus, non fuisse eá quam adfert: sed eam quae à me posita est: nẽpe quia latius patebant curiata comitia quam centuriata: vt quae dictatoribus creandis necessaria essent: cum centuriatis nullis comitiis sed sola consulis dictione designati essent. Hactenus ergo verum fuit curiata comitia rem militarem cõtinere quatenus nullus mgistratus rem militarẽ attingere potuit, sine lege curiata: in quo summa horum comitiorum necessitas in Rep. Romana à Camillo demonstratur. sed quod vnis comitiis magistratum acciperẽt, aliis imperium, hoc verò nec dixit Camillus, nec de ea rẽ vnquam cogitauit Liuius.

Gruchius enim inquit Rullum Decemuiros suos lege curiata, ornasse, quia more maiorum erat institutum.

HIc se acriter pũgere me put at Sigonius in eóq; valdè exultat: sed vt suo gaudio modũ faciat, quid ad hęc dictur⁹ sim attẽdat. Primum dico cõmunem legis curiatæ caussam quę in Ciceronis sec. agraria attingitur, cum eam auspiciorũ caussa remansisse scribit, eam ipsam Rullo etiã causam fuisse cur suis creãdis decẽuiris adhiberetur: nẽpe vt auspicato creati à populo auspicia ad gerẽdũ suũ magistratũ necessaria haberent: quod auspiciorũ ius ipse nesi integris quidẽ tributis comitiis eos creasset eis plebis cõcilio designãdis, dare non potuisset. Nam si auspiciorum religio legis curiatæ retinẽdæ communis caussa fuit vt Cicero docet, cui dubium esse potest Rullo huius caussæ habendã rationem fuisse? Deinde hoc addo, perperã à Sigonio verba Ciceronis accipi quasi seriò dicta essent cum per ironiam ab eo dicta esse minimo negotio doceri posśit. *Sed videte hominis religionẽ & diligentiam. vidit & perspexit sine curiata lege decemuiros habere potestatem non posse: quoniam per nouem tribus essent constituti.* Religionem & diligẽtiam cum tribuit Rullo serione an iocose loquitur? Cum ergo quæ cõtinuo subiicit verba, propositam hanc ironiam exponant, cui rectè interpretanti dubium esse potest, quin εἰρωνικῶς quoq; accipienda sint? inducit ergo Cicero quasi confitentem Rullum & suam culpam agnoscentem,

in eo quod nouem tantum tribus adhibuerat: sed vt id peccatum suum corrigat, eo scilicet curiatam legem induxisse. At Cicero ita eum oppugnat, vt doceat eũ non id in quo peccauerat emẽdare, sed altero vitio vitium cumulasse: quandoquidem ita legem curiatam ferri iubebat vt tamen alio capite illam ipsam legem curiatam tolleret: cum eodem iure esse, si ferri lex curiata nõ posset, suos Decemuiros volebat, ac si lata fuisset. Hic est totius illius loci germanus sensus Sigoni. vidit & perspexit sine lege curiata Decemuiros habere potestatẽ nõ posse quoniã per nouẽ tribus essent cõstituti. Id est Rullus ꝓ ea qua præditus est religione iam peccasse se agnoscit in eo quod nouem tantum tribus adhibuit, verum pro sua diligentia scilicet, id per legem curiatam emẽdabit: itaque iubet ferri de his legem curiatam, qua resarciat, si quid offenderit in priore designatione. Quod verò per iocum hæc Rullo attribuat Cicero, non autem quod hic reuera sensus esset Rulli, ex eo intelligi potest, quod haud dubiè Rullus nullum hic suũ peccatũ agnoscebat: quandoquidem suos Decẽuiros perinde populi suffragiis creabat sicuti collegiorum sacerdotes creari solebant. neque reuera censebat Rullus suos decemuiros primis illis tributis comitiis nullã potestatẽ accepisse: sed quã illis ac ceperãt, lege curiata ꝓ more cõfirmari volebat, si quidẽ obtinere posset, vt lex feretur. sin minus obtinere id posset, vt primis eos comitiis creasse satis esset cõtẽdebat: tãtũ abest vt nullã potestatẽ

primis illis comitiis eos accepisse agnscat. Postremò iniquum esse reprehensorem Sigonium confirmo. Vt enim non sint per εἰρωνείαν dicta hęc quæ ex Cicerone citat Sigonius, sed reapse hæc fuerit Rullo caussa ferendæ legis curiatę: an propterea efficitur eam fuisse solam caussam huius legis ferendę? propria hæc fuerit Rullo quędam caussa, cur Decéuiros lege curiata ornari vellet: quia non per vniuersam plebem eos designasset: Idcóne nullæ aliæ communes caussæ cur id ei faciendum esset potuerunt esse? Quis est in ratione differendi tam rudis vt non videat, ex cò quod aliquid caussa sit, non effici vt id solú caussa sit?

12.

Ex quibus quis est tam hebes qui non intelligat, &c.

NON sunt hebetes qui hoc nō intelligūt quod dicis Sigoni: sed tu nimiū acutus qui id vides quod nusquā est. Fuit quidem Decemuirorum magistratus vt omnium agrariorum extraordinarius: multáque suis Decēuiris ornamenta Rullus tribuebat præter ordinē id est extra quam aliis agrariis dari solitum esset: at ex hac parte qua eos lege curiata ornabat, nihil extra ordinem fecit: vt vel ex eo intelligi potest quod ei nunquam id obiicit Cicero cum caput legis Seruiliæ de lege curiata oppugnat: quo profectò nullum grauius argumentum habere potuit, Si id obiecisset Cicero, cum toties agrarij magistratus creati Romæ essent, nunquā factum esse vt lege curiata ornarētur, sicuti no-

uo & inaudito more, suos xuiros ornari volebat Rullus. Neque enim reprehendit Cicero quod lege curiata eos ornabat, sed quod cū nullis iustis comitiis designati essent, hac lege eos ornabat.

13.

Iam hoc inauditū & planè nouo more vt curiata lege magistratus detur cui nullis comitiis antè sit datus.

Hic ego omnes dialecticos appello, nunquid semper sit necessaria conclusio in priuantibus, qua, si vere enūcietur de aliquo priuatio, concluditur de illius opposito, habitum oppositum verè enunciari. exempli caussa. Si non parere legibus iniustum est: legibus ergo parere iustum: & contra. Si nullis legibus Remp. regere est inauditum, Ergo legibus quibusdam Rempub. regere, est auditum, & contra. Si non creari in cāpo Martio magistratus nouum est, Eos ergo in cāpo Martio creari vetus est. Si nullis iactis fundamentis ædificare est absonum: iactis ergo fundamentis ædificare cōsentaneum est. Cum ergo vsitatum & inusitatum contraria sint ex genere priuantium, idem hoc concludēdi genus hic valere necesse est. Si igitur verum est Darj magistratum lege curiata ei qui nullis antè comitiis sit designatus esse inusitatum, id quoque verum sit necesse est Dari magistratum lege curiata ei qui iustis quibusdam comitiis ante sit designatus, esse vsitatum. Neque vero ex hac tantū pri-

uantium consecutione conclusionis meæ necessitas demonstrari potest: sed etiam ex pronūciatorum reciprocatione. Ac primum ex verbis Ciceronis omnes hæ enunciationes verè sunt. Moribus Romanis nulli nō designato iustis quibusdam comitiis lege curiata magistratus datur. Et Cuicunque datur magistratus lege curiata, eum oportet quibusdam iustis comitiis ante designatum esse. Et Soli designato iustis quibusdam comitiis moribus Romanis datur magistratus lege curiata. Hæc inquam tria effata vera sunt, si verū est quod scribit Cicero. quod profectò in magistratibus qui populi suffragio mandabantur accipiendū est, ne quis de dictatore magistro equitum, & interrege aduersus Ciceronem insurgat, vt non verum esse doceat quod scribit, nouum & inauditum esse lege curiata alicui magistratū dari, qui nullis antè comitiis datus sit. Cum enim de iis agat magistratibus Cicero qui beneficio populi mandantur, id erit sophistice eius verba captare si in aliud genus magistratuum trāseatur, vt in eo mendacij coarguatur. Sit ergo hoc constitutum, in iis quidē magistratibus qui toti erant populi suffragiis comisi, Nouum atque inauditum fuisse vt lege curiata magistratū quis acciperet, qui nō antè iustis comitiis accepisset. Ex eo efficitur tria illa quæ modo dixi effata vera esse. At si verum est Soli designato iustis quibusdam comitiis vsitato more dari magistratum lege curiata: consequens est vt conuerso verborum ordine vera quoque sit de toto genere affir-

matio. Cuicunque vsitato more datur magistratus lege curiata, eum iustis quibusdam comitiis designatum fuisse. Nam si verum est solum hominem ridere, verum quoque est omnem ridentē esse hominē: eodémq; modo in huius generis omnibus, semper exclusiuā sequitur conuerso verborum ordine vniuersalis affirmatio. iam verò vniuersalis affirmatio in partē reciprocatur si ergo verum est omnem ridentem, esse hominem. & id quoque verum esse oportet, aliquem hominem ridere. Quod si nullus homo rideret, aut nihil planè esset quod rideret, trés illæ enunciationes veræ non essent. Solus homo ridet, omnis ridens homo est, aliquis homo ridet. Quoniā igitur eādē esse rationē omniū huius generis pronuntiatorum, necesse est, illud quoque relinquitur, Si nulli vnquam magistratus lege curiata datus est, aut si verum sit nulli iustis comitiis antè designato lege curiata magistratum dari: tria illa pronunciata mentiri: Soli designato iustis comitiis datur magistratus lege curiata: Cuicunque datur magistratus lege curiata, iustis comitiis antè fuit designatus: Alicui iustis comitiis antè designato, datur magistratus lege curiata. Atqui illa tria sunt Ciceronis. Vera ergo censenda. Hęc verò Sigonij sunt, nulli iustis comitiis antè designato dari magistratū lege curiata: imò lege curiata magistratum nunquam dari. Falsa ergo existimanda. Age verò Sigonij conclusiunculam quam meæ opponit, quámque propter subtilitatē, subdubitare videtur ne à me perspici

non posſit, excutiamus & nos quę tanddem iſta ſit tanta ſubtilitas eruamus. *Quis eſt inquit in differendi ratione tam rudis, qui non ſentiat. Si inuſitatum ſit vt magiſtratus lege curiata priuato detur, non magis conſequi vſitatum eſſe, vti magiſtratus lege curiata magiſtratui detur: quam vti magiſtratus priuato lege curiata non detur.* Hic ſunt quatuor contraria Sigoni, vſitatum inuſitatum, priuatus magiſtratus. Oportet ergo, ſiquidem ſubtilis tua dialectica, cum rudi noſtra eadem eſt, ex hac propoſitione, Priuato magiſtratũ dari lege curiata, inuſitatum eſt: hãc neceſſario cõſequi, magiſtratui dari curiata lege magiſtratum vſitatum eſt. Quoniam autem magiſtratus eſt non priuatus, hęc infiniti nominis affirmatio ſimul conſequatur neceſſe eſt, Non priuato dari magiſtratum lege curiata, vſitatum eſt. Et rurſum quoniam ex affirmatione nominis infiniti ſemper negatio ſimplex conſequitur, vera ſit hæc quoque negatio neceſſe eſt, magiſtratum priuato lege curiata non dari, vſitatum eſt. Quæ ſubtili ſua dialectica negat Sigonius inter ſe eſſe conſequẽtia ea ſummus rationis diſſerendi magiſter Ariſtoteles eo quo dixi modo inter ſe conſequi affirmat. Videndum igitur eſt Sigonio, nedum ſubtilis videri vult, futilis appareat.

14.

Postea veniat quæso illud quoque in mentem, lege curiata decemuiros ornare, non esse magistratu afficere, verum aliquot eis ornamenta adiungere. Quod ostendit ipse, cùm inquit videte nunc eos qui à vobis nihil potestatis acceperint, quanto maioribus ornamentis, & cetera.

VERBA quæ proximè apud Ciceronem antecedunt apertè docent hanc legem curiatam ad ipsius magistratus constitutionem pertinuiss. *Sint igitur Decemuiri neque veris comitiis, hoc est populi suffragiis, neque illis ad speciem atque ad vsurpationem vetustatis per 30. lictores auspiciorum causa adumbratis constituti.* Hæc transitio quæ fit per epilogum eorum quæ antè disputauerat nónne apertè ostendit, quę hactenus dixerat ad constitutionem & creationem decemuirorum pertinuisse? cùm ergo subiecit de eorum ornamentis, nunc se velle dicere, in his verbis, *Videte nunc quanto maioribus ornamentis afficiat*, in iis ornamentis nō contineri legem curiatam necesse est. Iam enim erat absoluta omnis de lege curiata disputatio. Male ergo ex hoc Ciceronis loco Sigonius nō ad magistrat⁹ creationē, sed ad extra ordinarium ornamentum legem curiatam pertinuisse colligit. Quid? quod magnam prodit suam inconstantiam? Paulo enim antè ex illis Ciceronis verbis. *Vidit ac perspexit eos potestatem habere non possē quoniam per nouem tribus essent cōstituti.* Probare conabatur causam legis curiatæ ferendę

Rullo fuisse vt potestatem haberent Decemuiri quam per nouem tribus habere non potuissent: quod erat aliud nihil quã Decẽuiros ipsos facere, atq; adeò eis magistratum dare. Nunc mutata repente sententia ostendere conatur ad magistratus constitutionem nihil pertinuisse legem curiatam: sed in adiunctis præter magistratum ornamentis, esse reponendam. At verbo ornandi Cicero vsus est cùm dixit. *Primum lege curiata Decem viros ornat.* Esto. verũ quid significaret illud ornare Decem viros lege curiata, ipse interpretatus est: nempe vt significet magistratum eis dare lege curiata, potestatem eis lege curiata confirmare, lege curiata decemuiros constituere. Quid ergo opus est Sigoni aliam interpretationẽ fingere, quando ipsum Ciceronem suæ sententiæ interpretem habes? Sit ergo constitutum priora Rulli comitia ad decẽuirorũ designationẽ pertinuisse, posteriora quæ in lege curiata de eis ferenda posita erant, ad confirmationem ac veluti inaugurationem spectasse: ita vt tota hæc binorum comitiorum ratio, ipso Cicerone auctore in constituẽdis decemuiris posita esset. vt etiam verba eius indicãt cùm de vtrisq; Rulli comitiis ita loquitur. *Reges constituũtur non Decemuiri Quirites iique ab his initiis fundamentísque nascuntur, vt non modò cum gerere cœperint, sed etiam cum constituentur omne vestrum ius potestas, libertásque tollatur.* Reliqua quæ post exagitat, ornamenta magistratus sunt: in qubus reprehendendis, magis magnitudinem ornamentorum quam ipsa ornamenta

vitio vertit. Nam ſumptum agrariis magiſtratibus ex ærario decernere ordinarium erat ſed immoderati, & propè immenſi ſumptus faciẽdi poteſtatem dare, ærariúmq; propemodum totum exhaurire, id verò erat extraordinarium inuſitatum, ac minimè ferendum: agros diuidere, colonos deducere, proprium erat munus agrariorum magiſtratuum: at permittere vt omnes qui vbicunque ſint agri diuidantur, vt quæcunque in loca vellẽt Decemuiri, colonos deducere poſſent, id erat planè extra ordinem. Sicut ergo in aliis omnibus prouincialibus magiſtratibus lex curiata præter ornamenta erat: ita vt illa lex magis ius populi in magiſtratu dãdo, reſpiceret: ornamẽta ad S. C. de ornandis prouinciis referrentur: Sic ſane in Decemuiris Rullianis, lex curiata præter ea quę propriæ magiſtratus ornamenta dicerentur, fuiſſe iudicanda eſt. Ex iis perſpicuum eſt omnia quæ hic Sigonius adfert de magiſtratu, & ornamento magiſtratus, non modo vana atque inania eſse, ſed à Ciceronis ſenſu plane aliena.

15.

Quod ni ita ſit falſa hæc propoſitio erit. Inuſitatum eſt vti magiſtratus lege curiata detur cui nullis ante comitiis ſit datus: quia dictator magiſter equitum.

PAVLO ante dixi non eſſe veteratorie verba captanda, ſed pro re ſubiecta eſſe omnium ſemper ſcriptorum verba intelligenda. Itaque quoniam de magiſtratib⁹ qui populi beneficia eſſent, à Cice-

rone agi manifestum est in iis verba eius sunt intelligenda, non ad dictatorem ceterósque magistratus qui raro admodum in vsu tum erant, producenda.

16.

At tributorum inquis mentio librariorum culpa in prioribus verbis desideratur.

ANIMI ingenuitatem in Sigonio hic ego requiro. Quod enim me dixi suspicari, id quasi asseueranter dixerim ita reprehendit. Quum enim attentius in verba Ciceronis intuens, necessario comperissem faciendam ei fuisse tributorum comitiorum mentionem in propositione, quandoquidem in assumptione eorum facta mentio inueniretur, causámque huius omissionis, quæ locum planè corruptum coargueret, inuestigarē, meam dixi hanc esse coniecturam, hunc locum vt multa alia ab imperito librario fuisse corruptum, quod tributam legem non posse latine dici existimaret: ideóque ad suum sensum ita inuertisse, ac perturbasse totũ locum, vt legis centuriatæ & curiatæ tantum mentio fieret: tributa lex, quasi barbarum verbum, reiiceretur. Si in locis manifesto vitiatis, suam cõiecturam ad eos restituendos adferre omnibus licet, quid à me Sigoni peccatum est, vt in me tam acriter ac vehemẽter insurgas. At vel dissimulaueris licet, ego tamen etiam atque etiam confirmo. quia necesse est in ratione propositionis, à Cicerone cẽturia-

ta,& tributa comitia pro prioribus comitiis posita esse,curiata vero ꝑ posteriorib⁹,ad docēdū binis comitiis olim populū iudicasse de omnib⁹ magistratibus(hæc enim sola binorū comitiorū de eodē magistratu habitorum ratio reperitur apud Romanos in omni historia fuisse) Idcirco Ciceronis locū omnino ita legēdū esse vt à me legitur.*Nam centuriata lex coss. ferebatur & ceteris patriciis magistratibus, tributa plebeis: tum curiata iterum.* Aut vero si displicet illud plebeis accipi pro minoribus magistratib⁹ legatur.*Tributa aliis.* Aut denique si patriciorum magistratuum nomine nolimus hic solos intelligi maiores magistratus, vt interdum apud Ciceronem accipi à me demonstratum est:sed omnino eos in quibus fuit patriciis locus,ad excludendos eos qui tantum plebi patuerūt:tum vero locum parua mutatione sic restituendum esse existimo.*Nam centuriata lex aut tributa consulibus ferebatur ac ceteris patriciis magistratibus, tum curiata iterum de iisdem iudicabatur.* Quæ sane lectio multis fortasse haud temere magis arridebit.

17.

Probe sanè, si prima comitia ita vt putas acciperentur. verum prima comitia dici possunt ordinē & dignitate:tu de ordine intellexisti,ego de dignitate.

Cum scribit Cicero.*Nunc quia prima illa comitia tenetis centuriata & tributa.* Interpretatur Sigonius, prima illa, id est præcipua & dignitate præstantia, comitia.In quo argumentum meum eludit,non

ſoluit. vt enim primum interdum id ſignificet quod dignitate præſtat, hic tamen non accommodate ita accipitur. Nam quibus in rebus eſt locus excellentiæ virtutis, in iis verum eſt primum pro eo quod virtute præſtat, interdum accipi. At in quibus nullus eſt virtuti locus, primũ pro eo accipi quod dignitate pręſtat, eſt inauditum, ac planè ridiculum. Vbi enim dignitati nullus eſt locus quomodo alterum alteri præſtare, dignitate poteſt? at quæ dignitas, niſi in vſu virtutis intelligi poteſt? quomodo ergo dignitate excellere alia comitia aliis poſſunt, ſi in hac comitiorum ratione nullus ſit dignitati locus? Certè ſi ordinem Cicero ſignificare noluiſſet non dixiſſet prima illa comitia, ſed vel iuſta, vel vera comitia, vt ſemper alibi, dixiſſet. At quia de binis agebatur comitiis, quorum alia priora alia poſteriora eſsent, vocabulo vſus eſt ordinem ſignificante. Deuenerat enim Cicero ad diſputationem de binis comitiis, ſumpta occaſione ex binis illis comitiis quibus Decemuiros creari volebat Rullus: quorum binorum comitiorũ priora erant tributa, poſteriora curiata. Quia igitur iamdudum receptum erat vt de omnibus magiſtratibus patriciis bis populus iudicaret, ſemel centuriatis aut tributis, iterum lege curiata ferenda, curiatis (quemadmodum in ſuperiori diſputatione à me demonſtratum eſt) idcirco verius eſt, habita eius ordinis ratione, quẽ in propoſitione deſignauerat, prima in aſſumptione appellari comitia: quam nouam verbi ſignifica-

tionem fingere, qua sequentium cum precedentibus cõnexio tollitur. Dixerat enim initio huius disputationis de lege curiata, fuisse inusitatũ vt curiata lege magistratus daretur cui nullis ante comitiis datus esset. ex quo efficiebatur, iamdudum receptum fuisse vt curiata comitia ad alia priora accessio essent. quod si quæ fuerint priora illa quæ dicit comitia Sigoniũ roges, non poterit alia dare quam centuriata & tributa. Relinquitur ergo Ciceroni prima fuisse centuriata & tributa, secunda vero curiata.

18.

Olim, inquit orator, antequam tributa comitia instituerentur bina erant comitia centuriata, & curiata, &c.

PERMVLTA hic Ciceroni ascribuntur, quæ sunt ab eius sensu aliena. primum quod dicit. *olim antequam tributa comitia instituerentur.* Cicero enim dicit hoc ius iam inde à maioribus acceptum, in creandis magistratibus populi fuisse, vt de omnibus bis sententiam ferret: quod ius tum demum cœpit in omnibus populi magistratibus locum habere, quando minores patricij magistratus tributis comitiis creati sunt. Nam in maioribus patriciis iam inde ab eorum institutione id obseruatum erat, vt de iis bis iudicaret populus. tantum abest vt illud. *Antequam tributa comitia instituerentur,* Pro suo agnoscat Cicero. Deinde illud est planè adscripticiũ. *curiata verò nullius prope momenti sint quippe quæ*

auspiciorum caussa retenta per triginta lictores ad nonnullas res tantum non autem amplius ad magistratus, vt ante adhibeantur. Verba enim Ciceronis sunt, curiata comitia auspiciorum caussa remãsisse, in ipsa scilicet creatione magistratuum (est enim id de quo agitur) Sigonius dicit ex magistratuum creatione planè sublata esse. At quis illam ferre interpretationem potest vt quod Cicero dexit remansisse tu interpreteris nullum iam locum habere, planè in hac re sublata esse? non potuisse propter auspiciorum religionem omnino tolli, sed ob eam ipsam caussam vmbram eorum comitiorum esse relictam, hoc est quod dicit Cicero, ea, duntaxat auspiciorum caussa, remansisse. Quę ergo Sigonius ex diametro cum his repugnantia loquitur, quomodo ad sensum Ciceronis explicandum esse accommodata credemus?

19.

At inquit curiatis iustius datur. concedo. dico autem Messalam non quod suo tempore fieret, sed quod aliquando.

IN superiori de lege curiata disputatione satis est à me refutata hæc verborum Mesfalæ interpretatio quam dat Sigonius. Vnum hoc loco adiiciã mihi videri quæ à Sigonio hic dicuntur, contentionis potius studio dicta esse quam quod reuera ita existimet. Vt enim præfinire annum quo primum patricij minores magistratus cœperunt creari tributis comitiis, non possimus: tempus tamen

tamẽ designare possumus quo in Rep. Romana iam receptum esset vt tributis comitiis crearentur. Nam ex Liuij verbis quæ sunt ad finem lib. 9. vbi de Appij cæci censura loquens, dicit Appiũ humilibus per omnes tribus diuisis forum & cãpum corrupisse, colligi potest iam tum cum Appius fuit censor, qui fuit annus vrb. 442. tributa comitia multum in vsu fuisse. Neque enim forum & campum hac humiliorum per tribus diuisione corrupta fuisse intelligere possumus: nisi quod illa distributione effectum erat vt comitia quæ tribuum suffragio fiebant in campo aut foro, in humilimorum potestate essent: quemadmodum indicant etiam verba eiusdem Liuij cũ scribit hunc Appij errorem à Q. Fabio correctũ ita fuisse, quia sua ad 4. tribus vrbanas humilium redactione effecerat vt iam comitia humilimorum in manu nõ essent. Quod verò idem Liuius scribit Cn. Flauium Ædilem curulem factũ fuisse à forensi factione Appij Claudij censura vires nacta, manifesto argumento est in Ædilibus curulibus creãdis tributa comitia iam tum vsurpari solita. Quod si in Ædilib⁹ curulibus id fuit, par aut certè maior ratio est vt in quæstoribus ac tribunis militum idem fuisse factitatum credamus. Cum ergo Sigonius non ignoret, si hoc tempus cum tempore quo scripsit Messala conferatur, intercedere plusquam trecentorum annorum spatium: haud verisimile est eum seriò existimare Messalam ita fuisse locuturum, de re trecentesimo iam anno intermissa & planè su-

blata, vt diceret, lege curiata magistratus datur, id est ante annos ter centum dabatur. Atque vt reapse ita sentiat nullum tamen opinor eum sectatorem prudentem habiturum.

20.

Addo praeterea aliquot post liberatam Remp. annos cum iam tributa pro curiatis in ciuitatem inuecta essent, re pristinam consuetudinem esse mutatam, nomine vero retētam. Ex omnibus enim centuriis vnā sorte duxerunt.

CVM omnia nullo auctore, in hac sua dicenda sententia Sigonius profert, tum plurima adfert planè ridicula. Null⁹ enim illi auctor est in eo quod dicit Cōsules binis centuriatis comitiis aliquando esse creatos. paritérque in eo quod dicit binis curiatis, patricios minores magistratus aliquando esse creatos. In ridiculis verò quis non reponat id quod dicit tributorum pro curiatis inuectionem, caussam attulisse mutandæ pristinæ cō suetudinis binorum centuriatorum in mandādo consulatu habendorum? Quid quæso commune tributis cum centuriatis? & cum tributa pro curiatis inuecta sunt, quid hoc ad consulum creationem attinuit? Quid par quid simile habuit minoribus creandis magistratibus pro binis curiatis substituere vnica tributa: & prærogatiuæ sortitionem in centuriatis instituere? Quid porro magis ridendum quam ex eo quod Asconius bina quodam modo agnoscit comitia in præro-

gatiua & iureuocatis, colligere bina fuisse integra centuriata, priusquam prærogatiua instituta esset? potius enim contra colligendum erat nullam binorum comitiorum speciem fuisse, antequam sortitio prærogatiuæ instituta esset.

21.

Cuius locum insignem mirabar admodum à Gruchio huius rationis vniuersæ inuestigatore accuratißimo, cum de prærogatiua præciperet in libris de Comitiis esse præteritum.

TAMETSI verba Asconij à mẽ non sunt recitata in libro de comitiis ego tamen non semel locum hunc indicaui, auctorémque Asconium laudaui; cum de prærogatiua & iureuocatis disputarem. Nulla itaque caussa est cur toties scribat Sigonius, mirari se quod locus ille sit à me præteritus. Mihi profecto iusta admirationis caussa est quo modo tam male locus ille ab eo intellectus sit. Vt omittam quod ex variis huius loci lectionibus, quas in mea responsione indicaui eam ille probauit, quæ omnium maximè suam illam de binis comitiis sententiam tollit: non modo illa quam proximo numero dixi ratione, sed etiam quia eum sensum verba vt leguntur referunt, vt etiam post prærogatiuæ institutionẽ, bina integra comitia de iisdem cãdidatis habita fuissa significent. Quid enim verba hæc. *Mos fuerat bina omnino de iisdem candidatis comitia fieri.* aliud significant quam vel semper ita in more fuisse vt

bina haberentur comitia: vel morem fuisse vt bina omnino comitia id est tota atque integra bina comitia fierent? illud enim. *Omnino.* nullũ hic locum habet nisi vt vel totum tẽpus indicet, vel totam rem de qua agitur. cũ ergo subiicitur. *Quorum tribus prærogatiuæ.* relatiuum illud quorum necesse est vt referat, comitiorum quæ omnino bina fiebant. Quæ profecto absurda sunt. Vnde efficitur tollendum esse illud (omnino) ac legendum vt à me legitur. *Bina quodam modo de iisdem candidatis comitia fieri.*

22.

Illa à me ne quinquaginta quidem.

QVINQVAGESIMVS post primos consules annus ex Sigonij fastis est ann⁹ ab vrbe cõdita CCLXXXIIII. Coss. A. Virginio T. Numicio. Vult ergo Sigonius iam antè hunc annum binorum comitiorum vsum fuisse sublatũ. Certè publilia lex, vt plebei magistratus tributis comitiis crearentur, biennio antè perlata erat. T. Quintio & Ap. Claudio coss. Quare mihi sic videtur Sigonius sentire, eodem tẽpore desiisse patricios minores magistrat⁹ curiatis comitiis fieri, quo plebei. Atqui quo anno lex publilia perlata est, nec Ædiles curules erãt, nec tribuni militum adhuc populi suffragio creati erant. nec vlli alij ordinarij magistratus minores qui patriciis paterent fuisse comperiuntur prĕter quĕstores. Relinquitur ergo Sigonio auctore nunquam Ædiles cu-

rules, tribunósq; militũ lege curiata fuisse creatos. At cum à Messala appellantur minores magistratus in iis verbis. *Minoribus magistratibus tributis comitiis magistratus, sed iustius curiata datur lege.* ædiles tribunósque militum contineri, nemo ambigit. ita ergo necesse est interpretetur verba Messalæ Sigonius. *Iustius curiata datur lege.* id est iustius dabatur olim curiata lege iis qui primis tãtum Reip. temporibus curiatis comitiis creati sunt. At cui persuadebit Sigonius primos illos ædiles curules qui patricij fuerunt, nihilo magis auspicato fuisse creatos quã plebeios magistratus? præsertim cum auspiciorum illo adhuc tempore religio inuiolate sanctissiméque coleretur. Hic ergo necesse est propter auspiciorum religionem vt vel sola curiata iis creandis adhibita fuisse dicamus, vel, quod mihi magis est verisimile, tributis eos fuisse designatos, sed propter auspicia curiatis comitiis fuisse confirmatos. id quod ego coniicio ex verbis Liuij cum scribit, omnium eius anni comitiorum patricios auctores fuisse. Certum enim est centuriatorum tantum & curiatorũ patricios auctores fuisse. At comitia quibus creati sunt à Camillo quintum Dictatore Ædiles curules primi, fuerunt ex illius anni comitiis. Vel cẽturiata ergo vel curiata fuisse oportet. Fuit autem hic annus in fastis Sigonij 387. Ab illo autem quem designat quinquagesimo post liberatam Remp. anno vsque ad hunc annum centeni ac terni anni intercedũt. Ex quo efficitur post centesimum ac quinquagesimum

annum adhuc in vsu fuisse curiata comitia creãdis minoribus magistratibus: nec posse id defendi quod scribit Sigonius ne quinquaginta quidẽ annis post liberatá regio dominatu Remp. morem illum fuisse seruatum. Cur vero mihi magis verisimile videatur ædiles illos non solis curiatis fuisse creatos, sed etiam tributis, hæc caussa est. Illo tempore iam erant 27. tribus Romanę in quibus magnus ciuium numerus continebatur, curiarum diuisione non comprehensus. Nisi igitur totum illum ciuium numerum in patriciorũ magistratuum minorum creatione, suffragandi potestate priuatũ fuisse dicamus, necesse est vt altero genere eorum comitiorum quę omnes ciues Romanos complectebãtur illos magistratus datos fuisse cõcedamus. At cẽturiatis fuisse creatos non est probabile. Restat igitur vt tributis creati sint: verum ea conditione vt lege curiata statim ob auspicia magistratus illis cõfirmaretur. Plane enim locus Liuij indicat ædilibus primis creandis adhibita fuisse quædam comitia quorũ patricij auctores essent: quæ alia quam curiata intelligi non possunt. 23.

Neque enim mentionem comitiorum tributorum.

QVOD necesse fuerit tributorũ comitiorum facere mentionem in explicãda illa propositione. *Maiores de omnibus magistratibus bis vos sententiã ferre voluerunt.* Vel ex eo intelligi potest quod donec patricij minores magistratus tributis comi-

tiis creari cœperunt, nũquam verum fuit, populũ de iis bis iudicasse. In coss. quidẽ iã inde ab initio verũ fuit populũ de iis bis iudicasse, primũ cẽturiata lege, deinde curiata: in aliis minorib⁹ magistratibus creandis secũdi populi iudicij ꝓpter auspicia inducendi nulla fuit iusta & prudentia Romanorũ digna ratio, nisi postquã inauspicatis comitiis creari cœperunt. Vt ergo rectè probaret de omnibus magistratibus bis populũ maiorum instituto iudicasse propter accessionem legis curiatæ ad priora quædam comitia quibus designatus esset magistratus, necesse vt suam probationem contulerit ad illud tempus quo in minoribus patriciis magistratibus tributa comitia priora fuerunt, posteriora curiata. Nam si in consulibus creandis, tametsi iustissimis comitiis & auspicatissimis creati essent, iudicarunt tamen iam inde ab huius magistratus institutione lege curiatis comitiis lata magistratum iis confirmandum esse, ídque propter auspiciorum religionem (vt in superiore disputatione docuim⁹) multo certè magis iis magistratibus qui inauspicatis comitiis creati essent legem curiatã fuisse necessariam prudentissimos illos ac religonis obseruantissimos veteres Romanos iudicasse credendum est. Aut ergo in ratione propositionis reddẽda, mancam fuisse Ciceronis probationẽ dicendum est, quia non doceat in omnibus magistratibus bis populum de iis iudicasse: aut tributorum comitiorum in ea mentionem factam fuisse oportuit. At mancam ei probationem tribuere sine iniu-

ria non possumus. Relinquitur ergo vt quemadmodum in assumptione non solum centuriata comitia pro primis comitiis nominauit sed etiã tributa: ita in ratione propositionis, ab eo vtraque appellata esse credamus. Quod verò dixi nullam fuisse iustam caussam Romanorum prudentia dignam cur de minoribus magistratibus bina haberent comitia curiata, hinc perspici potest, quod legis curiatæ de iis magistratibus ferendæ, qui aliis comitiis creati essent caussam in omnibus vnã fuisse verisimilus est, quam in aliis aliam. Atqui in consulibus nullam possumus iustam caussam reperire cur de iis lex curiata ferretur, nisi auspiciorum quãdam religionem quæ in curiarum suffragio inesse iudicabatur. Cur ergo in minoribus magistratibus, cum curiatis comitiis tantum designabantur, ob hæc Curiarum auspicia lex curiata desideraretur, nulla caussa erat. Hanc enim modo rationem adferre binis curiatis eos fuisse creatos, vt populus bis de eodem magistratu iudicaret, vt Romanorum prudentiæ non conuenit, ita quæstioni caussam iustissimam relinquit, si ius suffragiorum populi, bis de eodem magistratu iudicandi, satis haberet caussæ cur binis comitiis curiatis eundem magistratum daret, cur cum tributis comitiis dari cœperũt, bina tributa comitia de eodem magistratu populus non habuit, sicut ante bina curiata habebat? Dic Sigoni si potes aliquam causam, cur tributorum comitiorum inductio suo iure populum priuauit? Nam in centuriatis, tu aliquã fingis

iuris retenti vmbram in prærogatiua, quam pro binis comitiis centuriatis substitutã esse cogitas: At in tributis cùm nullam retenti iuris vmbram possis inuenire, ne interdicto vnde vi tecum contendat populus Romanus non times? Sortitio prærogatiuæ centuriæ hic suam populo possessionem restituere nõ potest. Et quia non minus sortito curiæ vocabantur, quam tribus: si fuit prę rogatiua in tributis comitiis, in curiatis pariter fuit. Non fuerunt ergo bina tota curiata comitia potius habenda, quàm bina tributa: & si primo vocata sortito tribus, pro vnis comitiis haberi potuit, nihil causæ est, cur non eadem ratione primo vocata sorte curia pro vnis comitiis haberi debuerit. Vide ergo Sigoni quomodo iusto sacramento cum populo Romano tibi cõtendere licebit, cum interdicto suam possessionem repetet. At Cicero scribit iterum de iisdem magistratibus iudicatum fuisse, vt esset reprehendendi potestas si populum beneficij sui pœniteret. Hæc est popularis causa Sigoni, & ad concitandum Rullo odium accommodata, ideòque huic loco satis apta: verum aliam etiã veram ac multo iustiorem caussam legis curiatæ ferendę fuisse, facile est ex ipso Cicerone & aliis scriptoribus docere: vt à me in priore refutatione demonstrastratum est. Itaque non rectè ex hoc loco vbi oratorie ac propè veteratorie agit Cicero, hanc solam fuisse causam legis curiatæ, colligitur. Quinetiam vt illa sola fuerit binorum comitiorum causa, nempe vt bis populus de eodem ma-

gistratu iudicaret, mea tamen sententia, qua dico bina illa comitia, fuisse centuriata & curiata, aut tributa & curiata, cum eo quod in repub. Romana obseruatum est iam inde à prima ferè post liberatam Rempub. vetustate magis conuenit, quam id quod dicit Sigonius nullo auctore, bina illa comitia fuisse bina centuriata, aut bina curiate: quę etiam, non toto quinquagesimo post liberam Rempub. anno in vsu fuerint.

24.

Cicero inquit ille curiatam legem ceteris patriciis magistratibus latam dixit.

Tva est Sigoni hęc sententia, ad annum propè quinquagesimum post reges exactos omnes magistratus ita binis comitiis fuisse creatos, vt qui centuriatis creabantur, binis centuriatis, qui curiatis, binis curiatis, factos fuisse affirmes. quam opinionem vt cum verbis Ciceronis haud conuenire, atque adeò merum esse Sigonij figmentum, docerem: hac ego ratione vtebar. certum est quinquaginta illis annis nullum alium magistratum centuriatis comitiis creatum fuisse præter Consules, ex quo efficitur quod de binis centuriatis dicitur, ad solos consules referendum esse. Quod ergo de binis item curiatis dicitur, necesse est reliquos omnes complectatur magistratus qui illis 50. annis fuisse cōperiuntur præter coss. Atqui præter multos extraordinarios magistratus, vt dedicandis ædibus sacris & annonæ præfectos, & colonię deducen-

dæ magiſtratus, reperiuntur ordinarij fuiſſe magiſtratus Tribuni Ædiléſque Plebis & Quæſtores, (ſi verum eſt à populo fuiſſe creatos quæſtores, ante annum vrb. cond. 300. 6. quo anno eos primum à populo creatos Tacitus docet, cum antè conſulum beneficium eſſet quæſtura, ſicut ante regum fuerat, haud ſecus quàm in tribunis militum qui ad annum vſque 393. populi ſuffragiis creati nõ erant.) Hos ergo omnes opinione Sigonij binis curiatis fuiſſe creatos fatendũ eſt. Nam præter id quod generaliter loquitur, cum dicit omnesqui tum temporis curiatis creati ſunt binis curiatis fuiſſe factos: tum verò ne fingi quidem poteſt vlla probabilis cauſa cur in quibuſdam populus haberet ius binorum comitiorum, in aliis non haberet. Ex iis ego ſic cõcludo. ſi id voluit Cicero, quod dicit Sigonius, non ſcripſiſſet. *Cum curiata lex ceteris patriciis magiſtratibus.* ſed vt omnes magiſtratus præter conſules complecteretur, dixiſſet. *Cum curiata lex ceteris omnibus magiſtratibus.* abſque illo verbo. *Patriciis.* Cum ergo addiderit illud patriciis, reliquum eſt Ciceronem aliud dicere, Sigonium aliud. Rurſus ego Sigonium ita aggredior, Quamuis Cicero in hoc ſecundo membro vſus ſit illo verbo. *Patriciis.* tamen quia etiam ceterorum verbo vſus eſt, dixítque ceteris patriciis magiſtratus, non eſt veriſimile ſolos quæſtores hoc ſecundo membro voluiſſe intelligere, ſed alios quoſdã patricios magiſtratus qui præter cõſules fuerũt. Facito ergo etiã ædiles curules ſimul cum quęſtoribus intel-

ligi. At si ad id vsque tēpus progrediare quo fuerunt Ædiles curules: iam non verum erit ceteris præter cōsules patriciis magistratibus latā fuisse legem curiatam, quandoquidem censores ac prętores iam tum essent: quos centuriata lege factos fuisse est indubitatum. Ad extremum ego sic vrgeo: Faciamus vt intellexerit Cicero ceterorū patriciorum magistratuum nomine solos quæstores, ita vt quod dicit bis populum iudicasse de omnibus magistratibus coarctetur ad illud tempus quo nulli adhuc fuerunt plebei magistratus, sed consules tantum ac quæstores patricij. Quomodo ergo, defendet Sigonius suum illud spacium circiter quinquaginta annorum? Asconius enim docet ídque ex fastis etiam apparet 16. annis post reges exactos plebis magistratus fuisse creatos. Vix ergo sedecim annorū spacio faciet Sigonius verum fuisse illud quod de binis comitiis loquitur Cicero, vt sit ad eius verba, Sigonij interpretatio accōmodata. At quam excogitare potest rationem, cur tantulum temporis eo iure binorum comitiorum populus vsus sit? Ex iis quisque intelligere poterit méæne rationes quas hic cauillis eludere conatur, sint à Sigonio dissolutæ, an potius magis ac magis tergiuersandi studium indicarit.

25.

Quod si hi quoque tum patricij magistratus fuerunt.

NE postea dubites Sigoni etiam plebeios in his extraordinariis magistratibus, locũ habuisse, ego ex Liuij lib. 2. docebo M. Lectorium qui ex gentibus patriciis nõ erat, iussu populi præfectum annonæ factum esse, Ædísque Mercurij dedicationem à populo accepisse. Hic ergo obiter quero, curiatis comitiis cùm datus sit ei hic magistratus (nondum enim erant tum visa tributa vlla comitia: erátque illud tempus ante secessionẽ plebis in sacrum montem) quæro inquam nunquid binis comitiis ei datus sit magistratus? At si binis hic etiã plebeius accepit magistratũ, non solũ in patriciis magistratibus verum fuit binis curiatis fuisse creatos. Cur ergo illud, *Patriciis*, Addit Cicero in iure populi explicãdo, quod pariter in plebeis & patriciis locũ habuit? prçsertim cũ enumeratio ei faciẽda esset in omnib⁹ qui olim (vt tu vis) binis facti sunt comitiis. At Cicero non dixit solis patriciis magistratibus, esto: sed quia non sine causa addidit illud, patriciis, quæ causa non potest alia excogitari quam ad plebeios excludendos, idem fecit appellandis hac in re patriciis, ac si exclusiua particula vsus esset.

26.

Nam quod ex mea opinione trina futura comitia ex verbis agrariæ secundæ contendit.

RATIO mea erat huiusmodi Sigoni. Certum est ex historia iam inde à primis reipub. temporibus, consulibus latam fuisse legem curiatam. Atqui non poterat iustis comitiis ferri lex curiata consulibus, quin de iis populi iudiciũ esset. Si ergo binis tum comitiis centuriatis (vt tu vis) creabantur, necessariò efficitur ter populum iudicasse de iisdem consulibus. bis enim centuriata lex ferebatur, te auctore. At teste omni antiquitate etiam lex curiata de iis ferebatur. ternis ergo comitiis de consulibus populus iudicabat. Neque verò ad dissoluendam hanc argumentationem satis est dicere legem curiatam ad dandum imperium militare pertinuisse. Faciamus hanc solam vim fuisse legis curiatæ. an propterea minus verum fuit, populi de consulibus iudicium fuisse, quando rogationem legis curiatæ pro suo arbitratu iubere vel antiquare potuit? Proponamus nobis primum consulem Brutum. Isne videtur tibi pleno iure consul futurus si belligerendi potestatem non habuisset? in danda ergo illa potestate, quæ muneris consularis princeps fuit, de consulatu Bruti, quis non videt populi iudicium fuisse? Ter ergo de eo populum iudicasse, quæcunque legis curiatæ causa fuerit, tibi necessario fatendum est. At nos supra ex Dione demon-

ſtrauimus legem curiatam quæ conſulibus ferebatur non præcipuè ac ſingulariter ad imperium militare aduenticium pertinuiſſe, ſed omnino ad ipſum conſulatum optima lege obtinendum: atque adeò ad ipſum conſulatum auſpiciorum religione confirmandũ. docuimus etiam inſitum in conſulatu fuiſſe militare imperium. non potuit ergo libera eſſe populi poteſtas in lege curiata de conſulibus ferenda, quin de ipſo conſulum imperio, quà conſules eſſent, populus iudicaret. Ex quo efficitur, toto illo tempore quo bina fuiſſe centuriata comitia Sigonius ſcribit, de omnibus conſulibus ter populum iudicaſſe.

27.

Vitio vertit quod ſcripſerim prærogatiuam inſtitutam eſſe poſtquam 35. tribus expletæ ſunt.

TANTVM abeſt vt Sigonio id vitio vertam quod ſcripſerit prærogatiuam inſtitutã eſſe poſt expletas 35. tribus, vt meã profitear eſſe hanc ſententiam. Sed quoniam quod rectè ſcripſit in libr. de antiquo iure Romanorum, ipſe nunc reuocat, ne meis aduerſus ſua bina comitia rationibus cedere cogatur: conabor id quod reuocat verum eſſe docere. Ex quo intelliget rurſus ſibi ſtatuendam eſſe hanc de prærogatiua opinionem: illam verò de binis comitiis ſuam ſententiam planè ei eſſe abiiciendam. Ac mihi quidam iſta de prærogatiua diſputatio tota maximè videtur hac vna

cõclusione posse confici. Si nunquam fuit prærogatiua centuria, quin esset tribus prærogatiua: non fuit autem tribus prærogatiua nisi post expletas 35. tribus: necessariò relinquitur prærogatiuam centuriam non fuisse nisi post expletas 35. tribus. Non fuisse tribum prærogatiuam ante expletas 35. tribus, sic confirmabitur. Tribus prærogatiua nec fuit nec intelligi potuit, nisi postquã clasium centuriæ ad diuisionem tribuum pertinuerunt. Etenim tribus quæ prima sorte exierat, non potuit centuriatim suffragiũ dicere, si nullæ essent in quaque tribu cẽturiæ. At qui verba Liuij ex lib. 1. apertè indicant, tum demum Seruij mutata diuisione, ad tribuũ distributionem pertinuisse clasium centurias, postquam expletæ sunt 35. tribus. Sic enim scribit. *Nec mirari oportet eum ordinem qui nunc est post expletas quinque & 30. tribus, duplicato earum numero, centuriis iuniorum seniorúmque ad institutam ab Seruio Tullio summam non conuenire. quadrifariam enim vrbe diuisa regionibus collibúsque, quæ habitabantur partes, tribus eas appellauit: vt ego arbitror ab tributo: Nam eius quoque æqualiter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est: neque hæ tribus ad centuriarum distributionem, numerúmque quicquam pertinuere.* Quoque minus laborem in docendo id quod dixi ex verbis Liuij esse colligendum, Sigonium habeo adstipulatorem cùm ita scribit lib. 1. de antiquo iure Romanorũ. *Est ergo intelligẽdũ ex Seruij instituto, trib⁹ nihil ad cẽturiata comitia pertinuisse. Post expletas autẽ 35. tribus cum omnis populi honos in iis consisteret mutatam esse*

Seruij

Seruij rationem: & tribus ad centuriarũ diuisionem esse tractas. Ac ne id quoque vt alia, posthac reuocet Sigonius, etiam ratione confirmabo non posse Liuij verba cõseruari si antè dicamus aliquid ex Seruij instituto mutatũ fuisse. Pone enim tum ad tribus, clasſiũ centurias cœpisse traduci, cum nunumerus tribuum primum auctus reperitur, videlicet cum apud Liuium lib. 2. legimus 21. tribus factas esse. Sanè vt quæque tribus binas tantum habeat secundæ clasſis centurias, vnã seniorum, alteram iuniorum efficiuntur 42. centuriæ secundæ clasſis: qui numerus iam plus duplo maior est numero à Seruio instituto. Si ergo prout numerus tribuũ auctus est supra eum qui à Seruio factus fuit, ita dicas centuriarum numerum vt ad tribuum distributionem referretur, accreuisse: non debuit Liuius dicere post expletas 35. tribus, sed post auctum tribuum numerum à Seruio institutum: quia iam tum verum esset duplicatum centuriarum à Seruio institutarum, numerum: ideóque non conuenire ad summam ab eo primum factam. Sit ergo hoc constitutũ Liuij testimonio, non prius pertinuisse clasſium centurias ad tribuum distributionem, quam Romæ 35. tribus fuerunt. Ex quo consequens est non potuisse prius prærogatiuam tribum esse, quàm 35. tribus Romæ fuerunt: quæ fuit meæ conclusionis propositio. Itaque superest vt assumptionem confirmemus: nempe centuriam prærogatiuam simul cum tribu prærogatiua fuisse institutam. Quod his rationibus suadeo. primùm quod video cen-

curiam prærogatiuam à Cicerone partem vnius tribus appellari. Quod intelligi non potest nisi in vna tribu plures centuriæ esse ponantur. aut igitur non semper verũ fuit, quod de prerogatiua dicit Cicero, aut non fuit prius centuria preroga tiua quàm tribus prærogatiua. Deinde si prius centuria prærogatiua dicatur, quam centurię ad tribuum diuisionem traductæ sunt, necesse est vt constituamus 193. sortes pro numero centuriarũ, quæ ad vnam ex omni illo numero educendam, in sistellam coniicerentur: eámque postea sortitionem rursus fuisse mutatam postquam tribus prerogatiua instituta est. Itaque à Seruij instituto facta mutatio non ea sola dicetur quam significat Liuius, de duplicato centuriarum numero post expletas 35. tribus, sed etiam illa quæ fuit in sortitione prærogatiuæ centuriæ instituẽda: cum sine sorte equites primi, tum primę classis centuriæ, atque ita deinceps ex Seruij instituto vocandi essent. Quod sine vllo auctore asserere, non modo periculosum sed etiam temerarium. Quæ enim iusta causa interuenire potuit, cur relicto centuriarum numero à Seruio primum instituto, ratio ferendi centuriatim suffragij ab eo item instituta, mutanda videretur? vt enim centuriatorum comitiorum vsus à Seruio profectus est, ita institutum creandorum magistratuũ illis comitijs ex eius commentariis sumptum fuisse Liuius scribit & Dionysius, & omnes historici. Probabilius igitur est, si verum fuit binis comitiis centuriatis creatos magistratus, id quoque ab e-

ius commentariis desumptũ fuisse, quàm vt præter eius institutũ nouo quodam more à L. Bruto inductũ fuisse, nullo auctore, dicamus. At siue à Seruio, siue à Bruto binorũ comitiorum centuriatorum vsus est in remp. inuectus, id sine aliqua iusta causa & prudẽtiæ Romanę digna factũ fuisse haud cõsentaneũ est. Quę ergo noua paulo post extitit prudentia, quæ incommodũ vidit binorũ comitiorũ, quod, aut Seruius iã inde, à prima horũ comitiorũ origine, aut Brutus cũ eum morem induxit, non præuiderat? An nimis longum fore bina integra comitia eidem creando magistratui adhibere, non viderãt aut Seruius aut Brutus, alius nescio quis multo scilicet acutior, & prudentior perspexit? Hanc enim prerogatiuæ inducẽdę causam cominiscitur Sigonius, pręter omnes eas quæ vel ab Asconio, vel à Varrone, vel à Verrio apud Festum datæ sunt, *quia eo modo celerius suffragia à populo iniri posse iudicarunt: si eadem comitia partirentur, quam si eadem bis integra haberentur.* Quid ais Sigoni? eáne fuit pręrogatiuæ inducendæ causa vt celerius suffragia inirentur? An tu in Rep. Romana homo peregrinus tanto post tempore in suffragiorum ratione vitium animaduertisti binorum comitiorum, in eo quod nimis longum esset tota habere bina eiusdem formæ comitia: hominibus Romanis ipsis auctoribus comitiorum hoc vitium in mentem venire non potuit? Certè vt binorum eiusdem generis comitiorum, inuentum, totum est Sigonianũ, ita quod vitium fuit in illa odiosa comitiorum iteratione, totum

est Sigonio attribuendũ: ac non illa nota imprudentiæ veteribus illis Romanæ Reipub. auctoribus inurenda. potiusque debuit Sigonius dicere iam inde à prima consulum creatione, prærogatiuæ sortitionem institutam fuisse, ad vitandũ illam odiosam illam ac molestã comitiorum eiusdem generis iterationem: quam imprudenter illã iterationem fuisse inductam: quę paulo post, animaduerso peccato minimè antè præuiso, tolleretur. Neque verò ex eo quod apud Liuium non reperit prærogatiuæ factã mentionem ante annum 357. debuit Sigonius potius colligere, non fuisse iam inde ab initio prærogatiuã, quam eo demum anno fuisse institutam quo primum in comitiis centuriatis, à Liuio vsurpata est. Nam si non præcise dicat eo circiter anno prærogatiuam fuisse institutam, cur quone auctore fingit eam in Rempub. fuisse inuectam 80. circiter annis, ante hanc primam Liuij mentionem, potius quàm alio quouis tempore, aut verò iam inde à primo cõsulatu? Quid est aliud in re seria iocari? Etenim haud sine probabili ratione dixisset, videri institutam fuisse prærogatiuam circiter ea tempora quibus describẽdis Liuius primum eius meminisse conspicitur. At cum binorum comitiorum vsum vix ad quinquagesimum annum à primis consulibus producit, ac pro vnis comitiis prærogatiuam ex eo tempore inducit, necesse est vt nullo plané auctore, octoginta propè annis prærogatiuam inuehat antequã vlla sit eius memoria apud Liuiũ, aut alium scriptorem. Quod si

iam ad se redeat, ac dicat circiter illud tẽpus quo primum apud Liuium fit mentio prærogatiuæ, verisimile esse eam institutam fuisse, vidẽdum illi est quomodo suam de binis comitiis sententiam defendet. ad illud enim vsque tempus binis centuriatis comitiis omnes magistratus qui centuriatis comitiis mandabantur creatos fuisse illi fatendum esset. Atqui censores quadragesimo & eo amplius anno, ante hoc tempus centuriatis comitiis fiebant: binis ergo centuriatis comitiis etiam censores fuisse creatos dicat oportet. Quomodo ergo verũ erit quod dicit Cicero, vt à Sigonio verba legũtur ceteris patriciis magistratib' latã fuisse legẽ curiatã, cum coss. centuriata ferebatur? cẽsura enim patrici' fuit magistratus, nec de eo ambigit Sigonius. Sed quoniã ex vno atque altero loco T. Liuij videtur probabili ratione ductus ad dicẽdum prærogatiuæ centuriæ sortitionem multo ante fuisse institutam, quam expletę essent 35. tribus, locos illos accuratius perpendamus. Primus locus est lib. 5. *Haud inuitis patribus P. Licinium Caluũ prærogatiua tribunum militũ creãt, moderationis experta in priore magistratu virum, ceterum iam tum exacta ætatis. omnésque deinceps ex collegio eiusdem anni refici apparebat, L. Titinium, P. Menenium, Cn. Genutium, L. Attiliũ: qui priusquam renunciarentur iure vocatis tribubus permissu interregis P. Licinius Caluus ita verba fecit.* Hoc primum dico Sigoni, vt apud scriptores alios, sic apud Liuium etiam, sæpe nomen prærogatiuę ita vsurpari vt significet priorem quandã suę voluntatis ac iudicij

significationem.vt lib.3.dec.pr. *Icilius vbi audiuit Tribunos militum in Auentino creatos ne comitiorum militarium prærogatiuam vrbana comitia iisdem tribunus plebis creandis sequerentur.* & statim initio decad 3. *in Asdrubalis locum haud dubia res fuit, quin prærogatiuam militarem, fauor etiam plebis sequeretur.* Et lib.8.dec.3. *equites L.Veturium & Q.Cæcilium legatos magnis tulisse laudibus hortatósque esse plebem, vt eos consules in proximũ annum crearent: adiecisse equitum prærogatiuæ auctoritatem consules.* Ex quo intelligitur quoties apud Liuiũ prærogatiuæ nomen reperitur, non semper de centuria prærogatiua quæ sorte educeretur esse cogitandum, sed interdum etiam prærogatiuarum nomine appellari centurias equitum, ac primæ classis quæ Seruij instituto pro suo iure ac non sorte, priores vocabantur: ita vt prerogatiuas dicere & primo vocatas idem sit. quomodo accipiendum esse in hoc Liuij loco affirmo: nec posse aliter accipi hoc modo confirmo. Primùm si voluisset specialiter Liuius significare vnicã illam sorte eductam centuriam, quæ alibi apud eundem prærogatiuæ nomine vocatur, non dixisset in plurali numero prærogatiuæ creant P. Licinium sed vt alias solet, prærogatiua P.Licinium creat. Neque enim ferendus Sigonius qui in hac sua contra me disputatione hunc locum corrumpit & contra omnium exemplarium fidem, legit. *P. Licinium Caluum prærogatiua tribunum militum non petentem creat.* Quin etiam ipse Sigonius in T. Liuio à se ex veterum exemplarium fide (vt ipse ait) re-

stituto, legit. *prærogatiuæ creant*, atque in scholiis sic omnino legendum esse affirmat his verbis *ceterum prærogatiuæ non prærogatiua legendum est.* quoniam ergo Liuius dixit prærogatiuæ creant, omninóque ita legendum est, perspicuum est noluisse hic Liuium significare vnā quandam sorte eductam centuriam quæ ante reliquas omnes suffragiū diceret, sed prærogatiuas omnino sumpsit pro primæ clasis centuriis primo loco vocatis. Quo etiam modo loquitur libro 10. *Cum primo vocatæ Q. Fabium consulem omnes dicerent centuriæ.* nec alio modo intelligendum est quod scribit eodem libro 10. *Nemini dubium erat quin Q. Fabius omnium consensu destinaretur, eúmque prærogatiuæ & primo vocatæ omnes centuriæ consulem dicebant.* Sic enim ille locus in omnib⁹ exemplaribus legitur, & ita ipse in suo Liuio Sigonius legendum docet. quo sanè in loco Liuius vtroque verbo ideo vsus est vt posterius interpretatio prioris esset: ac si diceret eúmque prærogatiuæ id est primo vocatæ omnes centuriæ. Atque vt magis credas Liuium noluisse hoc loco propriè vsurpare nomen prærogatiuæ, ad designandam vnam sorte eductam centuriam, argumento tibi esse possunt verba vltima huius loci, *qui priusquam renunciarentur iure vocatis tribubus*, in his enim verbis iure vocatæ tribus non possunt proprie accipi pro singularū tribuū centuriis pro iure cēsus ætatis atq; ordinis ad suffragium vocandis. nos enim paulo ante probauimus ante expletas 35. tribus, centuriatim non fuisse distributas trib⁹: sed vt sępe oēs

ſcriptores multis verbis abutũtur κατὰ πρόληψιν, ita Liuius hoc loco tametſi nõdũ eſſent iureuocatæ tribus, nec prærogatiua tribus, abutitur tamen iureuocatarum tribuum nomine ad reliquas populi centurias ſignificandas, quæ vocandæ erant poſt primo vocatas. Neque id nouum eſt apud Liuium tribuum nomine ſignificari populum ipſum non tributim, ſed centuriatim ſuffragantem, vt ipſe etiam Sigonius rectè admonuit. Vt lib. 6. omnes tribus bellum aduerſus Veliternos iuſsiſſe ſcribũtur, cùm certum ſit centuriatis comitiis bellum decerni ſolitum. Certè ſi propriè hic ſumi dicantur iureuocatæ tribus, fatendum erit in prærogatiuarũ appellatione ipſas tribus prærogatiuas intelligi, quod abſurdum eſt: non modo quia in his centuriatis comitiis plures tribus ſuffragium non dixerunt, ſed etiam quia iam tum oportuiſſet diſtributionẽ centuriarum per tribus fuiſſe factam. quod nos paulo antè falſum eſſe docuimus. Quo enim anno hæc facta ſunt tantum erant 21. tribus Romanæ, vt ex Liuianæ hiſtoriæ progreſſu apparet. Quod verò Liuium dixi interdum abuti vocabulis per anticipationem, ex ipſo cõſulum nomine intelligi poteſt. Appellantur enim ab eo iam inde ab initio conſules, cum tamen certum ſit, Prætores initio dictos, poſt iudices, tandémque conſules appellari ſolitos fuiſſe. Sic apud Gellium lib. 10. cap. 16. Higinus docet multa κατὰ πρόληψιν hiſtoriæ dici. Neque verò ad noſtrã hanc diſputationem quicquam refert fueritne primaria prærogatiuæ ſi-

gnificatio, in appellanda illa forte educta centuria vnica, quæ ante iure uocatas suffragium diceret, ex qua natiua significatione per κατά χρῆσιν alia deinde hoc vocabulũ translatum sit: an verò cum prima & natiua eius significatio esset, vt omnis priore loco data sui iudicij significatio hoc prærogatiuæ verbo intelligeretur, ex qua deinde significatione ad præcipuã quandam & specialem huius fortito eductæ centuriæ appellationem sit traductum: nihil inquam ad nostram disputationẽ interest. Semper enim verum illud manet, in his Liuij locis quos ex prima decade citat Sigonius, prerogatiuas nõ propriè ad forte eductam centuriam pertinere: sed nihil aliud significare quam priore loco vocatas centurias, in qua significatione semper verum fuit in centuriatis comitiis fuisse quasdam prærogatiuas centurias: quia semper prius aliæ vocatæ sint quàm aliæ. Ex quo apparet frustra Sigonium velle ex illis locis concludere, antè fuisse prærogatiuam centuriam illã, quæ vnica forte educta, ante alias omnes centurias suffragium dicebat, quam expletæ essent 35 tribus. Iam ergo paucis totã hanc disputationem colligamus. probauimus initio, Liuij aperto testimonio non prius fuisse prærogatiuam tribum quam expletæ sunt 35. tribus. At qui non fuisse prærogatiuam centuriam absque prærogatiua tribu, modo multis argumentis docuimus. Relinquitur ergo non fuisse prærogatiuam centuriam ante id tempus quo erant Romę 35. tribus. In sua autẽ de binis comitiis opinio-

ne Sigonius ad illud vſque tempus bina integra centuriata comitia creandis magiſtratibus fuiſſe dicit, donec prærogatiuæ centuriæ ſuffragatio pro vnis comitiis in Rempu. inuecta eſt. id igitur etiam neceſſe eſt, bina centuriata ad illud vſque tempus in vſu fuiſſe, quo 35. tribus Romę fuerũt. Cum ergo bina apud Ciceronem comitia, Sigonio interprete, de iis intelligantur binis integris comitiis quæ habita ſunt de ſingulis magiſtratibus, vſque ad illud tempus quo prȩrogatiuæ ſuffragatio inſtituta eſt: neceſſariò efficitur verba Ciceronis vera eſſe oportere in omnibus magiſtratibus quæ Romæ erant ad id vſque tempus quo Romæ expletus eſt numerus 35. tribuũ. verba autem Ciceronis ſunt. *centuriata lex conſulibus ferebatur, cum curiata ceteris patriciis magiſtratibus: tum iterum de iiſdem iudicabatur*, oportuit ergo cenſores prætoréſque lege curiata creari. quãdoquidem in ceteris prȩter conſules patriciis magiſtratibus hi continentur. Tum verò binis curiatis & hos & omnes patricios minores magiſtrat⁹ creatos oportuit, ad illud vſque tempus expletarum 35. tribuum. Quȩ omnia ſunt abſurdiſsima & ab omni hiſtoriæ veritate alieniſsima.

27.

Quibus ego. ne me quidem bina prærogatiuæ & iure-uocatarum comitia ad locum Ciceronis retuliſſe.

NUNQUID Sigoni tua interpretatio ad Ciceronis locum, tota nititur vnico illo Aſconij loco? nunquid bina tota comi-

tia apud Ciceronem primis temporibus fuisse ex verbis Asconij colligis? in quibus binorum comitiorum vmbra retẽta perhibetur, quando scilicet prærogatiua instituta est pro vnis comitiis? Quid? éstne hoc referre locum Asconij ad locum Ciceronis? Quid? si vnico hoc loco destitutus esses, (quemadmodum ego docui non pro te sed planè contra te facere) nunquid tibi fatendum esset, quod tu de binis comitiis dicis planè tuum commentum esse, nulla probabili ratione nullo antiquitatis testimonio fultum? Atque illa quidem sunt quæ mihi pluribus scribenda visa sunt ad posteriorem Sigonij cõtra me disputationem non modo ne se aut cõtemni putaret vir clarissimus & studiorum societate mihi coniunctissimus, aut nimium sibi veritatem à se stare persuaderet, si ad ea quæ scripsit nihil respondissem: sed etiam quia, cum sit obscurissima quæstio de iis rebus in quibus nostra controuersia versatur, tum verò dignissima est, quæ à nobis qui hãc primi quæstionem exagitauimus, accuratius pertractetur. Quæ omnia tali accipi animo ab eo rogo & obsecro, quali (vel ita me Deus bene amet) à me profecta sunt: candido scilicet, beneuolo, minimè contentioso: ceterùm veritatis inueniendę imprimis studioso.

ILLVLSTRISS. IVVENI, NICOLAO FIERLEIO DE DAMBROUICZA, Ioannis, Palatini Lublinensis F. Casimiriensi Præfecto.

CAROLVS SIGONIVS S.

CVM multæ sunt in tota antiquitate Romana difficiles quæstiones, atque obscuræ, tum nulla meo iudicio maioribus est tenebris, ac difficultatibus inuoluta, quàm quæ est de vetere binorum comitiorum, & legis curiatæ consuetudine. Hanc autem primus his, vt opinor, temporibus excitauit Nicolaus Gruchius Rotomagensis, doctus vir in primis, & græcis, latinísque literis eruditus. Cuius ab auctoritate cum ego non leuissimis, vt mihi videbatur, rationibus discessissem in iis libris, quos de antiquo iure ciuium Rom. sexennio ante confeci, ferre hoc, vt video, grauissimus homo nõ potuit. Itaque librum ea de re aduersus me nescio quem superioribus mensibus Lutetiæ diuulgauit. in quo cum caussam suam summa diligentia egit, tum mihi hac de re quasi litem apud homines eruditos, quorum ille iudicium interdum appellat, intendit. Quare cum pristinæ meæ tuendæ sententiæ gratia, tum ne veritas præsidio, patrocinióque nudata succumberet, vniuersam hanc quæstionem reuocata totius rei memoria retractare, eámque breuiter literis mandare coactus sum, ne fortasse aut inertiæ crimen subirem, si eruditum virum in me omnibus ingenij viribus irruentem perferrem, aut imprudentiæ, si falsam illius opinionẽ longiore oratione refellerem. Quare res nunc

fortasse Nicolae, iuuenis clarißime, cur hæc ego potißimum ad te? scilicet, vt præclarum iudicium de te meum apud omnes homines hoc genere monumenti testificer. Tu enim cum maiorum splẽdore, ac virtute clarißimus es, tum propriis laudibus ex bonarũ præsertim artium tractatione collectis ita abundas, vt ad summam nominis tui gloriam maiorum commendationem haud multum desideraturus esse videaris: quanquã merito Nicolaus, pro auus tuus, qui Castellanus Cracouiensis, id est primæ vir in senatu sententiæ fuit, & summus Polonicarum copiarũ imperator ingentem ex domita Prutenorum nouas res molientiũ gente gloriã reportauit, & Petrus auus, qui Palatinus Rußiæ, ac senator, virtutẽ, ac sapientiam ad remp. administrandã incredibilem attulit, & Ioannes pater, Palatinus Lublinensis, ac summus regni Poloniæ Marescallus plurimum te accendere aut exemplo, aut laude sua ad omnẽ cupiditatem excellẽtiæ poßũt. Accedit, quòd tu me Bononiẽsi in Academia hæc studia tractantem ita studiose audis, vt huius vnius rei caussa in Italiã ex remotißimis regionibus acceßisse videaris. Neque verò tu solũ hoc facis, vt me pro tua humanitate plurimũ diligas, verũ amore etiam tuo totius Polonicæ iuuẽtutis ingenio atque nobilitate præstãtis vetus erga me studiũ, ac beneuolentiã acuis. vt nisi me tibi, nisi vobis omnibus hoc nomine plurimũ debere cõfitear, aut omnis prorsus expers humanitatis sim, aut certè honoris eius, quo maximo, vestro omnium iudicio, sum affectus, ignarus. Quare si te, si tuos omnes meo qualicunque hoc ingenij monumento, tanquam non ingrati animi testimonio ornari volo, nõ iniuria mea quidẽ sententia facio. Vale. Bononiæ. Kal. Feb. M. D. LXVI.

CAROLI SIGONII DE BINIS COMITIIS, ET LEGE CVRIATA posterior cum Nic. Gruchio disputatio.

De vsu binorum comitiorum in magistratibus.

ETSI cum ab opinione Nicolai Gruchij de vetere comitiorum consuetudine recedebam, nūquã fore putabam, vt ipse, quo est ingenio, atque iudicio præditus, meam, si nosset, de binis comitiis, & lege curiata sententiam improbaret, facere tamen nō potui, quin magnam paulo antè ex eleganti illius, atque erudita responsione voluptatem animo ceperim, qua suam sibi coniecturam defendẽdam, meam verò acrius oppugnandam suscepit. Quam ob rem, quoniam ille proprio hac de re libro, & quidem aduersus me, vt ipse scripsit, inscripto, quodammodo me ad iustum huius disputationis certamen, contentionem que visus est prouocasse, faciã equidem non inuitus, vt simul & volũtati eius obsequar, si me scripto lacessere cogitauit, & Romanarum litterarum rationibus consulam, si quid eas meæ fortasse opinionis expositione cepisse detrimenti existimauit. id est explicabo quid ille hoc de genere, quid ego sentiã, accuratius, ac quomodo ego illius, quomodo ille meam frangat, abiiciátque sentẽtiã, persequar studiosius, vt si nō aliam honestis his afferre studiis opem possim, doctis-

ſimi ſaltem hominis, atque omnium ſine dubio diſertiſsimi opinione diligenter excutienda, reliquis fortaſſe rectius aliquid de re obſcuriſsima ſtatuēdi cauſſam afferā. Breui autē, ac moderato in primis genere orationis vtar, ne forte optimū, virū optimorúmq; mihi ſtudiorū ſocietate coniunctum vexare videar velle, ſi eum vberiore dicendi copia, atque adeò etiā acriore impugnem.

Hic igitur in iis libris, quos ſuperioribus annis de Comitiis luculentiſsimos diuulgauit, de antiqua binorum comitiorum ratione ita cenſet: Ab 1
exactis nempe regibus vſq; ad imperiū Cæſaris, per annos propè quingentos omnes magiſtratus binis comitiis eſſe creatos, patricios quidem centuriatis, & curiatis, plebeios verò tributis, & curiatis, ita vt curiata ſententiam confirmare, atque reſcindere poſſent cēturiatorum, ac tributorum. atque hoc factū eſſe, ſiue cum iuſta curiata adhibebātur, populo per triginta curias ſuffragante, vt primis temporibus, ſiue cum adumbrata, lictoribus ad vſurpandam vetuſtatem ſuffragia curiarum nomine ineuntibus, vt poſtremis. Sententiam verò ſuam Ciceronis, atque Meſſallæ confirmare conatur auctoritate. Ac Ciceronis quidē ex ſecunda agraria: *Primum lege curiata decemuiros ornat. iam hoc inauditum, & planè nouo more, vti curiata lege magiſtratus detur, cui nullis comitiis ante ſit datus.* Ex quibus verbis elicit: ſi inuſitatum erat, vt magiſtratus daretur lege curiata cui nullis ante comitiis eſſet datus, ſane vſitatum fuiſſe, vt lege curiata daretur, cui aliquibus ante comitiis

esset concessus. & paulo post: *Atque hic perspicuum est, quid iuris à maioribus acceperitis, quid ab hoc tribuno plebis relinquatur. maiores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt. nam centuriata lex cōsulibus ferebatur, cum Curiata ceteris patriciis magistratibus tum iterum de iisdem iudicabatur, vt esset reprehendendi potestas, si populum beneficij sui pœniteret. nunc quia prima illa comitia teneris centuriata, & tributa, curiata auspiciorum tantum caussa remanserunt, hic autem tribunus plebis quia videbat, potestatem neminē iniussu populi, aut plebis posse habere, curiatis eam comitiis, quæ vos non initis, confirmauit, tributa, quæ vestra erant, sustulit. ita cum maiores binis comitiis voluerint, vos de singulis magistratibus iudicare, hic homo popularis ne vnam quidem populo comitiorum potestatem reliquit. Sed videte hominis diligētiam. vidit, & perspexit, sine curiata lege decemuiros habere potestatem non posse, quoniam per nouem tribus essent constituti. iubet ferre de his legem curiatam.* Ex his autem quoniam nihil colligere suæ aptum, accommodatúmque sẽtentiæ potest, deprauata ea à librariis esse insimulat, atque ita suo iure emēdat: *Nam centuriata lex consulibus ferebatur, &, ceteris patriciis magistratibus, tributa plebeiis, tum curiata iterum de iisdem iudicabatur.* Qua lectione constante Ciceronem ita argumentari contendit: Qui potestatem populo comitiorum adimit, nō est popularis, adimit autem Rullus, quia maiores voluerunt, vos binis comitiis de singulis magistratibus iudicare. nam patricij magistratus creabantur centuriatis, & curiatis, plebeij verò tributis

tis & curiatis. Addit autem, in hac propositione tributorum comitiorum mentionem esse supplẽdam, quia eam post in assumptione subiungit, inquiens: *Nunc quia prima illa tenetis centuriata, & tributa, curiata auspiciorũ tantum caussa remanserũt.* Messallę autem verba sunt apud Gellium lib. 14. cap. 14. *Reliquorum magistratuum minora sunt auspicia. ideo illi maiores, hi minores appellantur. Minoribus creandis magistratibus tributis comitiis magistratus, sed iustius curiata datur lege.* Ex quibus in hunc ille modum concludit. Si minores magistratus tributis comitiis dantur, sed iustius curiatis, profecto binis comitiis dantur, tributis, & curiatis. quod si minores binis constituuntur, certe etiam maiores.

Atque hæc quidem illi vsque adeò firma visa sunt, vt ea nulla auctoritate refelli, nulláque omnino ratione conuinci posse sibi persuaserit. Mea verò lõge alia mens est. Cum multa præclara ab eo in illo comitiorum commentario sint collecta, nihil tamen minus ad veritatem propensum, nihil magis à ratione alienum, nihil denique tam absonũ inueniri, quàm quæ de vsu binorum comitiorum & præcepit idem, & sensit. Cuius meæ sententiæ rationem quanquam breuiter in libris de antiquo iure ciuium R. explicui, iterum tamen accuratius hoc loco præsertim ab eo coactus exponam, atque vnà auctoritatibus, rationibúsque eius aduersus me proximo libello prolatis, quantum ingenio consequi licebit occurram. Ego igitur fieri potuisse nego, vt omnes

magiſtratus binis ita comitiis declarati ſint, vt ad patricios quidem centuriata cum curiatis adhibita ſint, ad plebeios verò tributa cũ curiatis.
2 Primum, quia mirum mihi videtur, cum hæc à liberata repub. vſque ad oppreſſam, annorum fermè quingentorum interuallo ita ſint factitata, nullam in rerum geſtarũ monumentis eius temporis extare memoriã, quo curiata ſemel ſaltem ſententiam centuriatorum, tributorúmue reſciderint: præſertim verò cũ ad id aduocarentur, vt populus reprehendendi poteſtatem haberet, ſi
3 forte ſui beneficij pœniteret. Deinde, quia ſi patricij magiſtratus omnes, vt ille cẽſet, lecti eſſent centuriatis, & omnes plebeij tributis, nemo eſt tam obtuſo ingenio, qui non videat, futurum, vt qui tributis eſſent creti, omnes eſſent plebeij. at ædiles curules, & quæſtores, vel ipſo teſte Gruchio, tributis conſtituebantur, & tamen erant patricij. quare non omnes patricij centuriatis creti ſunt, neque ſoli plebeij tributis. præſertim verò
4 cum patricij magiſtratus omnium confeſsione fuerint, qui prius patriciis patuerunt, plebeij verò, qui tantum plebi. Neque enim quod ille opponit, plebeios magiſtratus accipiendos hic eſſe pro minoribus, eſt huic quęſtioni ſatis. quis enim latinè vnquam tam corrupte loquutus eſt, vt plebeium magiſtratum pro minori, id eſt pro eo, cuius auſpicia ſunt minora, poſuerit? aut quis vnquam veterum monumenta litterarum adeò peruerſe correxit, vt nouam antiqui verbi ſignificationem nulla priſca fultus auctoritate induxe-

rit? ſcilicet quod amicus meus homo acutiſsimus in eo libro, in quo omnia corrigendæ antiquitatis adiumenta collegit, cum Additionem, Ablationem, Tranſpoſitionem, Extenſionem, Contractionem, Diſtinctionem, Copulationem, Mutationémque attulerit, non vidit, id ab alio excogitatum recipiemus? Iam verò ſi magiſtratus verè plebeij, vt tribuni, ædiléſque plebis, ipſo met auctore Gruchio, ſingulis tantum comitiis ſint declarati, quæſtores autem, ædiléſque curules non plebeij fuerunt, ſed patricij, profecto ple beij nulli binis comitiis illis ſint conſtituti. Ne- 5
que verò illud negligẽdum eſſe opinor, ſi curiata comitia centuriatis attexerentur, ita vt eorum ſẽtẽtiã, ac iudicium infirmarent, fore, vt populus non haberet reprehẽdendi poteſtatem, ſi ſui beneficij pœniteret. quam ob rem? nempe, quia centuriata ſemper vniuerſum populũ ſunt complexa, curiata nõ ſemper. in centuriatis enim populus vniuerſus ex cenſu, & ordine, & ætate deſcriptus perpetuò ſuffragium tulit, in curiatis, vt quiſque triginta curias habitauit. atqui triginta curiæ in Palatio, aut certè in vrbe tantum fue- 6
runt. quomodo igitur qui procedentibus tẽporibus agrum R. qui municipia, qui denique Italiã totam iam ciuitate donatam incoluerunt, cum eſſent curiis excluſi, ſuffragium inierunt? Verum contemnamus hoc, ac prorſus pro nihilo habeamus, num verò illud etiam vanum, atque inane 7
putabim⁹, quòd, ſi ita eſſet efficeretur, vt quod alij ſciuiſſent, alij reprehẽderẽt? quid enim? nónne

ne accidere potuit, vt quem primæ centuriæ con
sulem dixissent, quę locupletissimorum fuerunt,
eundem sexdecim curiæ abrogarint, quæ quòd
ex ciuibus vltimarum forte classium centuria-
rúmque constabant, tenuissimum hominum ge-
nus continuerũt? Age verò quàm verisimile illud
8 videtur, qui consul propter excellentem fortasse
virtutis opinionem certo iudicio ab vniuerso po
pulo centuriatim lectus erat, aut qui quęstor, &
ædilis curulis ab vniuersa plebe tributim, per-
missum esse, vt eum triginta, si diis placet, cu-
riarum lictores suis suffragiis temerè, atque in-
9 consulto repudiarent? Quæro præterea, si curiæ
centuriarum decretum tollere, irritúmque fa-
cere potuerunt, cur tandem cum sępe alias, tum
Punico bello prærogatiuam centuriam, quòd
Otacilium, virum parum bello idoneum, consu-
lem nominasset, principes ciuitatis reuocarunt,
atque eam precibus mutare sententiá coegerunt,
cum tamen curiata centuriatis opponere liceret,
& iure potius, quàm precibus contendere, hone-
stius, & triginta curiarũ lictores de centuriarum
reprehẽdẽda sententia admonere, facilius esset?
Hoc loco rationes, inquiet ille, probabiles istas
nõ curo, auctoritates requiro, quibus nihil est ad
constituendam antiquitatem accommodatius.
assentior. Cõquiramus auctoritates. testimonia
veterum perscrutemur. Quid? Camillus cum di-
xit apud Liuium: *Comitia curiata, quæ rem milita-*
rem continent, centuriata, quibus consules, tribunósque
militum consulari potestate creatis, vbi auspicato, nisi

vbi aſſolet fieri poſſunt? nónne diſerte curiata rei mi
litari, centuriata magiſtratuũ creationi attribuit?
nam ſi conſules æque curiatis creabantur, atque 10
centuriatis, cur hæc ille iura diſtinxit, & ſepara-
uit? profectò, quia centuriatis magiſtratum, cu-
riatis militare imperium mandari, vt poſtea de-
monſtrabimus, intellexit. Iam verò cum inquit in
agraria Cicero: *Maiores de omnibus magiſtratibus
vos binis comitiis iudicare voluerunt. nam centuriata
lex conſulibus ferebatur, cum curiata ceteris patriciis
magiſtratibus. tum iterum de iiſdem iudicabatur,* non
ne tacite oſtendit, maiorum illud inſtitutum eua
nuiſſe, neque amplius obſeruari? Ferebatur enim,
inquit, lex cẽturiata apud maiores, atque iterum
de iiſdem iudicabatur. quaſi amplius eo modo
non ferretur, nec binis comitiis iudicaretur, vt
apud maiores. At mutata eſt, inquis, ratio, quia
maiores triginta curias aduocarunt, nunc trigin-
ta curiarum lictores adhibent. O rem puſillam,
cur tanta cõſtituatur ſuperiorum, & inferiorum
temporum oppoſitio. maior certè illa, ac gra-
uior quam ego poſt mea conſtituenda opinione
aperiam. Verum leue ſit hoc, ac prope commẽ-
titium. quid illud, quanti faciendum eſſe arbitra-
mur? quod qui cum Gruchio ſentiet, cum Cice-
rone diſſentiat eſt neceſſe? Gruchius enim in-
quit, Rullum decemuiros ſuos lege curiata or- 11
naſſe, quiá more maiórum erat inſtitutum, vt om
nes magiſtratus primis comitiis declarati, ſecun-
dis curiatis confirmarẽtur. at Cicero inquit, Rul-
lum id feciſſe, *quia, vidit eos poteſtatem habere non*

posse, quoniam per nouem tribus erant cōstituti, id est, non ab vniuersa plebe, vt assolebat. Age verò, si more maiorum, si ex ordine magistratus omnes comitiis curiatis, Gruchi vir doctissime, sancirentur, num Rullū ipsum in eam se necessitatem adducturum existimas, vt ad decemuiros suos lege curiata ornandos prætores legem curiatam ferre compelleret? at compulit. sic enim loquitur Cicero: *Iubet, qui primus prætor factus sit, eum legem curiatam ferre. si is ferre non possit, qui postremus. si lex curiata non erit, tum ij decem viri eodem iure sint, quo*
12 *qui optima lege.* Ex quibus quis est tam hebes, qui non intelligat, legem curiatam eum ad agrarios curatores extra ordinem adhibere? At Cicero scilicet, ac Messala id voluerunt. Videamus, an ita sit, atque vnà eorū vtriusq; verba liquidius, sunt enim obscuriora, interpretemur. Primū profers
13 hæc: *Iam hoc inauditum, ac planè nouo more, vti curiata lege magistratus detur, cui nullis ante comitiis sit datus.* atque ex his hanc conclusiunculam elicis: si inusitatū est, vti magistratus detur lege curiata, cui nullis ante comitiis sit datus, sanè vsitatum est, vt detur, cui aliquot comitiis ante est datus. Qua conclusione vt nihil potest esse festiuius, sic nihil ad eludendum, frangendúmque facilius. Quis est enim in differendi ratione tam rudis, qui non sentiat, si inusitatum sit, vt magistratus lege curiata priuato detur, non magis consequi, vsitatum esse, vti magistratus lege curiata magistratui detur, quám vti magistratus lege curiata nō detur? Quod si hoc etiam subtilitatis fortasse

caussa nõ perspicit, illud certè, quod cæco etiam apparet, quemnam latiturũ existimamus, quòd quam rationem ad suos creãdos decemuiros adhibet Rullus, ea in eiusmodi potestate ex omni parte, vt ipsa etiam potestas, extraordinaria est, proptereáq; ex hac non esse reliquorum magistratuum, qui ordine creentur, normam, exemplúmque sumendum? Quæ si infirma fortasse videntur, consideremus porrò, iis verbis oratorem infinitam illam à Rullo concessam decemuiris potestatem, non eorum creationem exagitare. nam creationem redarguerat supra, cùm dixerat: *Iubet tribunum pl. creare decemuiros per tribus decem, & septem.* deinde extraordinariam hãc potestatem aggreditur, cum ait: *Cognoscite nunc, quæ potestas, & quanta detur. primum lege curiata decemuiros ornat. iam hoc inauditum, ac planè nouo more, vti magistratus lege curiata detur, cui nullis comitiis antè sit datus.* Post autem veniat quæso illud quoque in 14
mentem, lege curiata decemuiros ornare, non esse decemuiros magistratu afficere, verum aliquot eis ornamẽta adiungere. quod ostendit ipse cùm inquit: *Videte nunc, eos, qui à vobis nihil potestatis acceperint, quanto maioribus ornamentis afficiat. quàm omnes nos affecti sumus, quibus vos amplissimas potestates dedistis.* nimirum significãs, ordinariam potestatem comitiis tributis esse decemuiris datam, quam ipse nullam appellat, quia non omnes ille 35. tribus adhibuit: extraordinariam verò, quam ornamẽta vocat, curiatis. At Cicero dixit, lege curiata magistratũ eis datum, nõ ornamen-

tum magiſtratus. Rectè admodum, & ſcite.cur? quia ordinaria poteſtas eſt magiſtratus,extraordinaria eſt & magiſtratus,& ornamẽtum magiſtratus,quippe quædam ordinariæ poteſtatis acceſsio.exempli cauſſa, curatores agrarij ex ordine omnes eo iure creãtur, vt agros publicos pro arbitrio diuidere poſsint, nunc ſi qui extra ordinem cum maiori poteſtate creentur, vt Decemuiri à Rullo, tum maior illa poteſtas & magiſtratus dici poterit, quia ad ius pertinebit, & ornamentum magiſtratus,quia maiorem eis dignitatem,& ius amplius, quàm alij ante habuerint,largietur. Magiſtratum autem ibi pro ornamento magiſtratus eſſe capiendũ,quis nõ videt? Quęro enim, quod dat lex curiata, id non ne aut eſt magiſtratus,aut ornamentũ eius? negari non poteſt.non eſt autem magiſtratus,quia ſequeretur, vt cum dictator,aut conſul ornatur lege curiata, magiſtratus ornaretur magiſtratu. quod eſſe abſurdũ,ex eo apparet,quia dictator,& conſul ante legem curiatam de ſe latam dictatorio & conſulari ſemper munere functi ſunt.quare lex curiata ornamentum dat magiſtratui,non magiſtratum
15 magiſtratui.Quod ni ita ſit,falſa hæc propoſitio erit:Inuſitatum eſt, vti magiſtratus lege curiata detur,cui nullis ante comitiis ſit datus.quia dictator, magiſter equitum, interrex, præfectus vrbis cum nullis comitiis crearentur, tamen te auctore lege curiata omnes ornabantur. Quæres fortaſſe,cur magiſtratum dixit,non magiſtratus ornamentum? nempe quia vberiorẽ hęc vox,quàm

illa, ad inſectandam actionem Rulli erat prębitura materiam. neque enim ſi magiſtratus ornamentum dixiſſet, illa ſuggerere potuiſſet, quæ huius vocis occaſionem nactus de magiſtratibus infert binis comitiis apud maiores creatis. quæ à Rullo neglecta prorſus eſſe ad conflandum odium criminatur. in quo ſe gerit, vt ſolet, oratorie, ac propè veteratorie. At poſtea inquit, Decemuiros à Rullo curiatis comitiis confirmatos, non ornatos. Ne hoc quidem planè adſurde. Nam cum lex curiata magiſtratui præcipue ferri ſoleret, factum eſt, vt cum eſt lata decemuiris, magiſtratum eis, de quo ambigi poterat, confirmarit. Quare ſi certus eorum erat magiſtratus, is eſt à curiata lege ornatus, ſin autē controuerſus, ſine dubio confirmatus. Hoc fundamēto, quod tu cauſſæ tuæ firmiſsimun eſſe putaſti, concuſſo, iam facilius reliqua ſuperædificata labefactabuntur. Etenim quod tu ex conficta, ſuppletáq; illius loci lectione: *Nam centuriata lex conſulibus ferebatur, ceteríſque patriciis magiſtratibus, tributa plebeiis*, elicis, curiata centuriatis, & tributis fuiſſe adnexa, quis eſt tam parum in hoc literarum genere exercitatus, qui, ſi non velit, non facilè poſsit illudere? Scilicet tu mihi nouam opinionem Romanam in antiquitatem induces, eámque vt probes, verba ex vetere nobiliſsima oratione alia de tuo adiicies, alia demes, alia traiicies. quæque ſummi tu vix beneficij loco conſeruanda putabis, ea contra auctoritatem omnium Latinorum ex propria ſignificatione depelles, & quod in re-

bus etiam apertiſsimis periculoſum, ac lubricum eſt, id tu in obſcuriſsima quæſtione pro arbitrio facies, & me, ſi ſecus ſenſero, tacitum ferre, atque in re conniuere nõ leuiſsima coges? da hoc idem mihi, homini rudi, vt vides, ac plané hebeti, vt in ſcriptis veterum auguſtiſsimis quoties offendam, arbitratu meo addam, detraham, mutem, interpreter. nihil erit tam obſcurum, nihil tantis difficultatibus impeditum, quod non planum, atque explicatum me pollicear nullo negocio
16 redditurum. At tributorum, inquis, mentio librariorũ culpa in prioribus verbis deſideratur. quis te tandẽ hoc docuit? verba, inquis, quæ ſequuntur: *Nunc quia prima illa comitia tenetis centuriata, & tributa, curiata auſpiciorum tantum cauſſa remanſerunt.* cùm enim, inquis, tributa in aſſumptione argumẽtationis ſint poſita, ſanè perſpicuum eſt, etiam in propoſitione collocari oportuiſſe. quia inquit, centuriata, & tributa prima teneri, curiata verò auſpiciorum cauſſa retineri. probè ſanè. ſi
17 prima comitia ita, vt tu putas, acciperentur, verum prima comitia dici poſſunt, ordine, & dignitate. tu de ordine intellexiſti, ego de dignitate.
18 Olim, inquit orator, antequam tributa comitia inſtituerentur, bina erant comitia, centuriata, & curiata, quæ ad creãdos magiſtratus aduocabantur, nunc ſunt trina, centuriata, curiata, & tributa. verum quia vos tributa pro curiatis introduxiſtis, fit vt centuriata, ac tributa prima, id eſt pręcipua ſint, & à populo, ac plebe ineantur, curiata verò nullius propè momenti ſint, quippe quæ

auſpiciorum cauſſa retenta per triginta lictores
ad nonnullas res tantum, non autem amplius ad
magiſtratus, vt antè, adhibeantur.ex quo appa-
ret non idcirco in propoſitione tributorum men
tionem eſſe ſupplendam, quòd in aſſumptione
tributa poſuerit. Neque verò quòd curiata ob-
ſoleuiſſe inquit,propterea vſu quondã receptum
fuiſſe,vt ea centuriatis adiicerentur, efficitur,ſed
vt loco tributorum,cum nondum eſſent tributa,
factitarentur, & vt iuſta, non autem, veluti po-
ſtremo,adumbrata celebrarẽtur.At Meſſalla ſci-
licet idem vult.*Minoribus*,enim inquit, *magiſtra-
tibus tributis comitiis magiſtratus, ſed iuſtius curiata
lege datur*.Quid?an verò minores magiſtratus bi-
nis comitiis mandari ſolitos ille inquit eadem æ-
tate,an diuerſa,priore quidem cum curiatis man-
dabantur, antequam tributa inſtituta eſſent, po-
ſteriore verò, cum tributis mandari cœpti ſunt?
At inquit,*Curiatis iuſtius datur*.Concedo.dico au 19
tem Meſſallam,non quod ſuo tempore fieret,ſed
quod aliquando factitatum eſſet,nec præſentem
ætatis ſuæ morem,ſed vetuſtum ius ipſum comi-
tiorum ſpectaſſe.ita vt minores magiſtratus tri-
butis intermiſſo potius vſu curiatorum, quam
prorſus abrogato declararentur.Quære alia Gru
chi, vir acutiſsime, ſi qua potes.nam nemo vn-
quam prudens ei aſſentietur opinioni,quæ dua-
bus tantum, iiſque obſcuris, aut mendæ, vt tu
cenſes, ſuſpectis auctoritatibus fulciatur,pluri-
mis autẽ,iiſque non dubiis rationibus,vt aliena,
ne omnino dicam falſa,redarguatur.

Quæret hoc loco aliquis: quænam igitur tua demum est hac de consuetudine coniectura? exponam paucis. recte ne opiner, an secus, alij iudcabunt. Ego censeo, bina adhibita esse comitia primis liberatę reip. annis, verum non admodum multis. vt consules quidem crearentur binis centuriatis, ceteri verò patricij magistratus, qui tũ erant, vt quæstores, binis curiatis, sic enim video fore, vt iisdem comitiis magistratus, & creentur, & confirmentur, idémque populus potestatem habeat reprehendendi, si beneficij sui pœniteat. atque hanc mihi videntur hæc verba continere sententiam. *Maiores voluerũt, vos bis de omnibus magistratibus iudicare. nam centuriata lex consulibus ferebatur, cum curiata ceteris patriciis magistratibus. tum iterum de iisdem iudicabatur, vt esset reprehendendi potestas, si populum beneficij sui pœniteret.* Etenim nullo verbo addito, nullo dempto, nullo mutato, nullo aliter, quam antiqui omnes accepisse videantur, accepto, ex his colligo, centuriatã legem consulibus latam eo tempore, quo curiata ceteris patriciis magistratibus ferebatur. tum iterum iudicatum esse, de consulibus quidem centuriatis, de ceteris verò, curiatis. Quo fit, vt eadẽ centuriata, aut eadem curiata suã de singulis magistratibus sententiam aut confirmarint, aut re-
20 prehenderint. Addo præterea, aliquod post liberatam rempub. annos cum iam tributa pro curiatis in ciuitatem essent inuecta, re pristinam consuetudinem esse mutatã, nomine verò retentam. Ex omnibus enim centuriis vnam sorte duxerũt,

quæ prima rogaretur, ac propterea prærogatiua
diceretur. eius autem sententia pro vnis comitiis
habita est. qua pronunciata tum deinde ipsa cen
turiata comitia sunt perfecta, vt assolebat. hoc au
tem factum est, vel propter suffragandi commo
ditatem, ne totus populus iterum in suffragia vo
caretur, vel quæcunque alia excogitari caussa
posſit. In hanc autem ego sententiam veni, duce
Asconio. cuius locum insignem mirabar admo-
dum à Gruchio huius rationis vniuersæ inuesti- 21
gatore accuratisſimo, cum de prærogatiua præ-
ciperet, in libris de comitiis esse pręteritũ. Verba
verò eius in Verrinas hæc esse reperiebã: *Praro-
gatiua tribus sunt, qua prima suffragium ferunt ante
iure vocatas. mos enim fuerat, quo facilius in comitiis
concordia populi firmaretur, bina omnino de iisdem can
didatis comitia fieri. quorũ tribus prarogatiua diceban-
tur, quòd prima rogarentur, quos vellent consules fieri,
secunda iureuocata, quod in iis sequente populo, vt sape
contingit, prarogatiuarũ voluntatem, iure omnia com-
plerentur.* Quocirca fieri quoque videbam, vt in
consulibus creandis prærogatiuæ apud Liuium
memoria tantopere celebraretur. Ac de duplici
quidem binorũ comitiorũ consuetudine in hunc
modum ego. Quid affert nunc contra Gruchius?
Neutram illarum probat. Obiicit autem primũ,
quo se priorem cõsuetudinem abiecturum exi-
stimat, si centuriata, & curiata bis ad eosdẽ creã-
dos magistratus essent allata, de ea re scriptores
aliquid fuisse litteris tradituros. addítque, quo
argumento sua à me sententia oppugnatur, codẽ

meam à se posse labefactari. Quod ipsum quam dissimile sit, quis non videt? ego enim ab illo postremorum temporum memoriam requiro, ille à me primorũ: ego eorum, quæ notissima sunt, ille eorum, quæ obscurissima, ego ab illo rationem posco annorum amplius quingẽtorum, ille à me
22 ne quinquaginta quidem: ego eorũ, quibus multa euenerunt, quæ litterarum monumentis consignarentur, ac consignata inuenirentur, ille eorum, quibus pauca contigerunt, & si quæ contigerunt, aut propter raras iis temporibus litteras haudquaquam memoriæ commendata sunt, aut incensa, vt inquit Liuius, à Gallis vrbe & ipsa perierunt. Quod autem secundo loco crimini dat, id vsque adeo infirmum est, vt prorsus ne attingendum quidem esse videatur. Sic enim inquit:
23 Displicet Sigonij opinio, quia vulgata verba Ciceronis nulla facta mutatione conseruat. neque enim mentionẽ comitiorum tributorum, & plebeiorum magistratuum desiderari, eámq; ex sequenti assumptione supplendam esse, animaduertit. *Nunc quia vos prima illa tenetis centuriata, & tributa &c.* Equidem eo me stupore oppressum esse confiteor, vt vitium istud Gruchianũ nõ sentiam. immo vero ea mente præditus, eáque opinione imbutus sum, vt sententiam illam perfectam esse, & ex vulgata lectione eundẽ erui sensum, atque ex suppleta ab illo elicitur, putem. Quis enim conclusionem vnquam iure hanc reprehenderit? Qui populo suffragiorum potestatem adimit, non est popularis: adimit autem

Rullus,cum decemuiros per dimidiā plebis partem creat, eósque lege curiata ornat, qui magistratum nullis comitiis habeant. nā maiores voluerunt,vos bis de omnibus magistratibus iudicare.quia apud eos bis cēturiata lex consulibus, & bis curiata ceteris patriciis magistratibus ferebatur.nunc vero vos centuriata,& pro curiatis tributa in primis celebratis,curiata prope dimissa sunt.Rullus autem ne vna quidem comitia ad Decemuiros attulit.nam tributa, quæ frequentatis,ad creandos eos dimidiata adhibuit, curiata,quæ non initis,ad confirmandos.An vero si in secunda ratione parum ést firmitatis,amplius aliquid est in tertia?multo minus. Cicero,inquit 24
ille,curiatam legem ceteris patriciis magistratibus latam dixit,tu quæstores solos attulisti, cum tamē vox ceteri ad multos referatur,nō ad vnos. Festiue sane,quasi vero ego solos quæstores curiatis tum comitiis scripserim cōstitutos.at quæstores præter ceteros nominasti.confiteor. hi enim soli tum ordine creabantur. triumuiros coloniæ,& præfectos annonæ omisisti. sane omisi. quid enim erat, cur afferrem, cum essent extraordinarij?Quod si hi quoque tum patricij magi- 25
stratus fuerunt,satis argumenti est,propositionē illam tanto plus veritatis habere. At tribuni,ædiléśque plebis vsque ad tributorum institutionem creati sunt curiatis. quare lex curiata non nisi solis patriciis lata.quid?ego ne solis patriciis dixi,an,vt Cicero,ceteris? Nā quod ex mea opi- 26
nione trina futura comitia,ex verbis agrariæ se-

cundæ contẽdit, quid eſt quòd plura reſpondeã, cum mea ante adhibita eorum verborum interpretatio omnem huius rationis auferat dubitationem? Atque hęc quidem aduerſus priorem binorum comitiorum à me inductam conſuetudinem ille, quanquam non hoc omnino ordine, ſed paullo, quod in tanto præſertim viro mirari ſolitus ſum, perturbatiore. De ſecunda vero, quę prærogatiuam centuriã pro vnis comitiis affert, vt exultare dij boni quaſi victor, ac prope triumphare gaudio videtur. quanquam id mea quidẽ ſententia iure. nam ſi, quod ille criminatur, ego ſcripſiſſem, quíſnam tanta orationis copia, aut tanta doctrinæ facultate inſtructus inueniretur, qui hunc vnum locum defendere poſſet? Etenim poſteaquam prærogatiuam centuriam, & comitia, quæ illi conſequentia ſunt, bina quodãmodo fuiſſe comitia, eſt confeſſus, quod tamen ille, vt dixi, in ſua illa copioſiſsima diſputatione ſilentio prætererat, vitio vertit, quòd ſcripſerim, præro-
27 gatiuam inſtitutam eſſe, poſtquam 35. tribus expletæ ſunt, quæ vltra annum ab Vrbe condita quingenteſimum ſunt expletę. Quorum tale nihil apud me eſſe, verba mea teſtimonio erũt, quæ neſcio, cur ab eo ſignificata potius ſint, quàm prolata. Primum enim doceo, bina fuiſſe de conſulibus centuriata, bináque de ceteris patriciis magiſtratibus curiata comitia. deinde addo, eam rationem perpetuo non eſſe ſeruatam, ſed effigiem tantum eius, ac ſimilitudinem retentam. Nam cum prærogatiuæ, inquam, centurię ſuffragationem

gationem instituissent, eam pro vnis comitiis habuerunt, reliquarum autem, quæ iureuocatæ dictæ sunt, pro alteris. atq; hoc verbis Asconij supra commemoratis confirmo. Prærogatiuæ tribus &c. Quæ verba interpretans, quoniam ille tribuum fecerat mentionem, subiungo: His verbis ille significat, bina quidem comitia esse habita, sed non integra, verum speciem tantum binorum comitiorum esse vsurpatam. forte enim tribum, & ex tribu sorte centuriã eduxerunt, quæ prima suffragium iniret &c. Post autem reddens quasi rationem, cur Asconius prærogatiuas tribus dixisset, non autem, vt reliqui omnes, prærogatiuas centurias, ostendo factum id esse, quia tribus, postquam ad numerum 35. peruenissent, ad centuriata traductæ comitia essent, idque his verbis: Est autem intelligendum, tribus ex Seruij instituto nihil ad cẽturiata comitia pertinuisse, post expletas autem 35. tribus, cum omnis populi honos in iis consisteret, mutatã esse Seruij rationem, & tribus ad cẽturiarum diuisionem esse traductas. Vt autem ante populus in sex classes, & centũ tres ac nonaginta centurias diuisus vocabatur, sic postea in 35. tribus dispertitus citari cœptus est, ita tamen, vt singulæ tribus suas classes, suásque centurias haberent. quocirca supra diximus, ex 35. tribubus vnam esse sorte eductã, atque ex ea, cum vniuscuiusque tribus quinque essent classes, omnium vero clasſium multæ centuriæ, vnam ex omni centuriarum numero lectã centuriam, vel iuniorum, vel seniorum, quæ pri-

ma rogaretur,& prærogatiua diceretur. Quæ cũ ſcripſi, noli putare, me ſenſiſſe, tum cum primũ introducta prærogatiua eſt, eam ex 35. tribuum aliqua eſſe eductam. verum, poſteaquam tribus ad centuriata comitia ſunt tranſlata, prærogatiuam ex aliqua triginta quinq; tribuum ſumptá. Verum fac me ſcripſiſſe, prærogatiuam ex 35. tribubus eſſe ductam, antequã 35. numerus expleretur, num ſi id me Ciceronis exemplo feciſſe dixero, parum idoneam facti mei, quod à te tam valde reprehenditur, rationem attulero? non, opinor. At is in agraria dixit, quotieſcunque curatores agrarij creati fuerunt, ſemper per 35. tribus eſſe creatos, & tamen ante 35. tribus expletas, cum ſæpiſsime creati ſint, nemo per 35. tribus eſt conſtitutus, verum per omnes, quæ tum erant, cum creabantur. Age vero ſi tu hoc tam graue eſſe crimen exiſtimaſti, cur rationibus potius, quæ aliqua eludi ratione poſſunt, id tibi refutãdum, quàm grauiſsima, quæ nullo modo frangi vitaríve poteſt, Liuij auctoritate duxiſti? qui mẽtionem multo ante id tempus prærogatiuæ fecit in tribunis militum conſularibus, & conſulibus. vt libro quinto: *P. Licinium Caluum prærogatiua tribunum militum non petentem creat.* Et libro 10. *Q. Fabium & prærogatiua, & primo vocatæ omnes centuriæ conſulem cum L. Volumnio dicebant.* Hoc igitur, vt dixi, quaſi de me triumpho relato, tum ille neſcio quo modo in hanc argumentationẽ erũpit. Quæſtores aut à populo primum creati ſunt anno 60. poſt reges exactos, vt vult Tacitus, aut

multo ante sub regibus, vt Iunius Gracchanus. si primum, profectò tributis creati sunt, non curiatis, quia tum curiata non erant in vsu, si secundum, absurdum est, cum ceteris dicat Cicero, intelligere de solis quæstoribus, cum etiam duũuiri, triũuiri, præfecti annonę à populo sint creati, vt verisimile est, aut singulis, aut binis curiatis. Hic ego primum quæro, quorsum hæc hoc loco de quæstoribus, quæ ad priorem scilicet pertinẽt quæstionem? deinde, si de me quid de his potissimum sentiam, quærit, dico, me cũ Iunio Gracchano sentire, quem testem adhibet Vlpianus, quæstores creatos esse à populo & rerum potiẽtibus regibus, & iisdem dominatu, imperióque remotis, eóque vehementius, quòd Plutarchus auctor est, Poplicolã consulem primum ęrarium instituisse, & quæstores duos populo creandos permisisse. quorum duorum auctoritatẽ, nescio cur non anteponam Taciti testimonio, qui multos post annos floruit, quàm Iunius, qui quidem cum C. Graccho vixit, atque ab eius amicitia Gracchani cognomen inuenit, & commẽtarios de his rebus ex instituto conscripsit. Post autem illud ex ipso etiam scire cupio, cur, postquam de quæstoribus, & priore consuetudine multa non suo loco repetens inculcauit, prærogatiuam iterum, de qua dicere instituerat, nouis argumentis inuadat? quid quæso spectet, quid in animo habeat? Neque enim illum disserendi elegantiam odisse, confusionem, perturbationémque disputationis amare, nobilis ille comitiorum commẽ-

tarius indicat, in quo omnia diſtincte, atque ordinate diſpoſuit. Quid autem ait? Bina quidem ea quodammodo eſſe comitia, vna prærogatiuę, altera iureuocatarum, verum eam rem ad locum Ciceronis, & ad bina centuriata, quæ ante prærogatiuæ inſtitutionem ſunt celebrata, non pertinere. primum, inquit, quia Aſconius eius rei auctor Neronis tempore vixit, cum iam nulla erant comitia populi, & propterea, quæ de binis ſcribit comitiis, non refert ad vetuſtiorem morem, de quo Cicero, ſed ad poſteriorem, poſtquã in comitia prærogatiua erat inducta, deinde quia prærogatiua inſtituta eſt, vt populi cõcordia firmaretur, poſtremo, quia prerogatiua non minus ad leges, & iudicia, quàm ad magiſtratus adhi-
28 bebatur. Quibus ego, ne me quidem bina prærogatiuæ, & iureuocatarum comitia ad locũ Ciceronis retuliſſe, ex eo perſpici poſſe, quòd priorem conſuetudinem ex Cicerone collegi, poſteriorem ex Aſconio, ac diuerſam eſſe vtranque oſtendi. Aſſentior autem & ipſe, Aſconiũ de poſteriore more locutum, non de antiquiſsimo illo, ac ſæculorum prope multitudine obſoleto. Quod vero de populi concordia opponit, neceſſario non efficit, vt non alia etiam de cauſſa excogitari prærogatiua potuerit, cum Feſtus aliam longe ab Aſconiana diuerſam prodiderit. Atque hoc idem etiam de iudiciis, & legibus eſſe cẽſeo reſpondendum, ſi modo ad leges, & iudicia prærogatiua pertinuit. Quæ cum ita ſint, neminem iam opinor eſſe tam hebetem, qui non intelli-

gat, quàm parũ in illa de binis comitiis opinione insit roboris, atque neruorum.

De vsu legis curiatæ de imperio.

Altera res est, de qua haudquaquam mihi cum Gruchio conuenit, Lex curiata de imperio. nam legem curiatã multis de rebus ferri cõstat. quid verò potissimum feratur, cum magistratui lex curiata de imperio fertur, illud in controuersiam venit. Ego enim duplicẽ fuisse vim imperij dico, vnam ciuilem quandã magistratus auctoritatem, alteram, militarem, ac bellicã. Sic autem statuo, omnes magistratus & vrbanos, & prouĩciales ciuilem potestatẽ habuisse, verum alios maiorem, alios minorẽ. quæ minor fuit, eam præcipue potestatem dictam, quę maior, non potestatem solum, sed interdum etiam imperium appellatam. ídque ex eo liquere, quod de tribunis quidẽ ple- 1
bis, atque ædilibus nunquam, nisi potestatem dixerunt, in consulibus autem, ac prætoribus & potestatem, & imperium vsurparunt. Vnde in II. Verrina dixit Cicero: *Erit tũ Consul Hortensius cum summo imperio, ac potestate, ego autẽ ædilis, hoc est paulo amplius, quàm priuatus.* & Liuius in secundo, tri- 2
bunum pl. priuatum esse sine imperio, ac sine magistratu prodidit. Addo autem, potestatem in auspicio, & iudicio fuisse positã. vnde sanxit noster ille idem in legibus: *Magistratus omnes iudicium, & auspicium habento.* Cum dico autẽ auspicium, potestatem intelligo omnibus magistratibus impertitam seruandi de cœlo. Quod ostẽdit Varro in Rhetoricis, teste Nonio: *Eo die cis Tiberim redeũ*

dum est, quòd de cælo auspicari ius sit nemini præter magistratum. & Cicero in Antoniana secunda: *Augures nunciationem solum habent, consules, & reliqui magistratus etiam spectionem.* & Gelli lib.13.ca.14. *In edicto consulum, quo edicunt, quis dies comitiis centuriatis futurus sit, scriptum fuit. ne quis magistratus minor de cælo seruasse vellet.* nimirũ ne minorum magistratuũ obnunciatione centuriata comitia impedirentur. Cum dico autem iudicium, intelligo potestatem decretum interponendi, ac iuris dicendi. Et quoniã magistratus alij prehensionem tantum habuerũt, alij & prehensionem, & in ius vocationem, alij neutrum, vt ex Varrone prodit idem Gellius, quorum primi viatore vsi sunt, alteri lictore, tertij seruo publico, propterea horũ etiam hoc modo potestatem distingui posse existimo. Neque verò dubito, quin his ita constitutis dictatores, consules, prætores, & vrbani, & prouinciales ea fuerint potestate instructi, quæ maxima esset, atque verius imperium, quàm potestas diceretur. Atque hoc imperium ego dico fuisse eiusmodi, vt totum ius magistratus amplexum sit. quare neminem dictatorem, consulem, prætorémque fuisse, quin hanc potestatem, siue potius hoc imperiũ obtinuerit. simul illud etiam adiũgo, hoc imperium dictatores accepisse, tum cum à cõsulibus dicti sunt, cõsules, prætorésque, cum comitiis cẽturiatis à populo declarati sunt.

4 Alterum verò imperium, nempe rei militaris attingẽdę potestatẽ neminem horum sine senatus consulto, ac lege administrare non solum in vrbe

ſed neque in prouincia potuiſſe aſſirmo. quæ lex
quia curiatis comitiis lata ſit, curiata eſt appella-
ta. Quod quidem placet in ſingulis indicare. De
Dictatore teſtis Liuius eſt lib. 9. *Papirio dictatori
legẽ curiatã de imperio ferenti triſte omen diẽ diffidit,
quòd Saucia curia fuit principium duabus inſignis cla-
dibus, capta vrbis, & Caudinæ pacis. Macer tertia etiã
clade, quæ ad Cremeram accepta eſt, abhominandã eam
facit. dictator poſtridie auſpiciis repetitis pertulit legẽ.*
Ex his enim verbis apparet, dictatorem ſine lege 5
curiata magiſtratũ dictaturæ geſsiſſe. quo modo
enim agere cũ populo potuiſſet, ſi priuatus qui-
dem fuiſſet? ergo ſi pertulit legẽ de imperio: non
de ciuili imperio pertulit, ſed de militari. apparet
etiam legem curiatam de imperio pertinuiſſe ad
rem militarẽ propter clades bellicas lege curiata
de imperio lata acceptas, cuius lationis ſemper
Saucia curia principium fuerat. De cõſulibus, &
tribunis militum cõſularibus idem locus eſſe te-
ſtimonio poteſt: quia clades ad Cremeram, & ad
furcas Caudinas cõſulibus ducibus eſt accepta,
captæ Romæ tribunis militum conſulari poteſta
te. & alter in quinto: *Centuriatis comitiis conſules tri-* 6
*buníque militum conſulari poteſtate creantur, curiata
rem militarem continent.* quaſi verò velit dicere, ma
giſtratum iis dari centuriatis, imperium verò mi
litare curiatis, & Cicero in ſecunda Agraria: *Con-
ſuli ſi legem curiatam non habet, attingere rem mili-
tarem non licet.* Item: *Conſulibus legem curiatã feren-
tibus ſæpe interceſſum eſt* & in epiſt. ad Lentulum:
Appius conſul dixit in ſenatu, ſeſe, ſi licitum eſſe legem

curiatam ferre, sortiturum esse cum collega prouinciam. & lib.4.ad Attic. *Consules flagrant infamia, quòd C. Memmius candidatus pactionem in senatu recitauit, quam ipse, & suus competitor Domitius cum cõsulibus fecisset, vti ambo sestertiũ quadringena consulibus darent, si essent ipsi cõsules facti, nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerẽt, cum lex curiata ferretur, quæ lata non esset, & duos consulares, qui se dicerent in ornandis prouinciis consularibus affuisse, cum omnino ne senatus*
7 *quidem fuisset.* Ex quibus itẽ percipitur, tum consules ante legẽ curiatã latam consulatũ gessisse, quippe qui legem eam ad populum tulerint, tum legem curiatam fuisse de imperio non ciuili, sed militari, ac prouinciali. Vt autem lex curiata consulibus in prouincia militare dedit imperium, sic in vrbe senatusconsultum illud: Vt viderent ne-
8 quid detrimenti resp. acciperet. de quo Sallustius in Catilina: *Senatus decreuit, darent operam consules, ne quid resp. detrimenti caperet. ea potestas per senatum more maiorum magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis ciues, atque socios, domi, militiaq; summum imperium, ac iudicium summum habere. aliter sine populi iussu nullius earum rerum consuli ius est.* Quæ verba hãc nobis lucem afferunt, vt intelligamus, consules iure consulatus exercitum parare, bellúmque gerere non potuisse, neque domi militiæque summum imperium habuisse, quod certe habuissent, si imperium vnum tantum esset, ídque cẽturiatis comitiis cum magistratu ipso delatum esset. At vero cum nisi in atroci negocio mandatum nõ sit,

ſane intelligi poteſt, duo eorum fuiſſe imperia, vnum ciuile, alterum militare. Iam vero præto- 9
res vrbanum, & peregrinum, quique publicas quæſtiones exercuerũt, priore item tantum imperio fuiſſe affectos affirmo, poſteriore nego. prouinciales autem omnes vtrunque habuiſſe 10
contendo, ciuile quidem, nempe iuriſdictionis lege centuriata, militare vero ipſum ſine dubio curiata. ſic enim Cicero teſtatur in oratione de ſuppliciis de Verre Siciliæ prætore loquens: *Cum tibi prætori ſorte obtigiſſet, vt ius diceres, quantum negocij, quid oneris haberes, nunquam cogitaſti. ſequuta prouincia eſt. in qua tibi nunquam venit in mentem, non tibi iccirco faſces, & ſecures, & tantam imperij vim, tantámque ornamentorum omnium dignitatem datam, vt earum rerum vi, & auctoritate omnia repagula iuris perfringeres. in qua te ita geſſiſti, vt cum omnibus teneare rebus ad bellum fugitiuorum cõfugias.*
Hic enim locus docet, non eſſe idem imperium 11
prætoris vrbani, ac prouincialis. vocat enim curationem vrbanam negocium, & onus, prouincialem vero imperium. quippe quia prouincialis prætor non ſolum ius in prouincia diceret, vt Romæ vrbanus, ſed etiam rem militarem adminiſtraret. & Cæſar libro primo belli ciuilis: *In re-* 12
liquas prouincias prætores mittuntur, neque expectant; quod ſuperioribus annis acciderat, vt de eorum imperio ad populum referatur, paludatíque votis nuncupatis exeunt. quibus verbis non ne aperte admonemur, prætores prouincias à ſenatu, imperium à populo accepiſſe? Præter hos autem fuerunt alij quidã

consulares,atque prætorij,qui prouincias quidẽ obtinuerunt post magistratum, verum non continuo ex ipso magistratu, vt Cicero, & Bibulus aliquot post consulatum annos Ciliciam,& Syriã,& Cato aliquot post pręturã annos Siciliam.
13 De his autẽ idẽ iudiciũ est. quãquã enim ex priuatis in prouincias missi sunt,tamẽ quia iure magistratus Romæ gesti prouincias eas adepti sunt eodẽ modo in ꝓuinciis & potestatẽ, & imperiũ habuisse cẽseo, potestatẽ in iure dicundo, imperiũ in re militari.quã ab omnibus iis,quos nominaui,administratam cõstat,ita vt Cicero , & Bibulus de triũpho etiã cogitarint. Vt autẽ prouin-
14 ciam ex S. C. & sorte obtinuerunt, sic eosdem imperium lege curiata accepisse opinor. Relin-
15 quuntur quidam , qui neque ex magistratu, neque post magistratum , sed ex priuatis non in prouincias , sed ad bella cum imperio mittebantur aut consulari,aut prętorio, vnde proconsules, aut proprætores dicebantur. mittebantur autem aut S.C. aut lege , vt P. Scipio procos.in Hispaniam,C.Octauius proprætore in Galliam. Hos igitur,atque eiusmodi alios magistratus fuisse nego,cum imperio fuisse dico, sed tamen non lege curiata accepto. Magistratus non fuerunt, quia neque auspiciũ, neque iudicium habuerũt. Auspicium non habebant,quia à populo non acceperant, vt testis est Cicero in libris de Diuinatione.nam præter Scipionem reliqui omnes tributis comitis, quæ erãt inauspicata,imperiũ ac-
16 ceperunt. Iudiciũ autem non habebãt, quia pro-

uinciam, in qua ius dicerent, non habebant. nam cum Scipio in Hispaniam missus est, Hispania nondum erat prouincia, cùm Octauius in Galliã, Gallia à D. Bruto procos. tenebatur. præterea in senatuscõsulto, quo ille proprætore esse iubetur, hęc sunt verba apud Ciceronem: *Demus imperium C. Cæsari, sine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris administrari non potest*, non autẽ, sine quo ius in prouincia dici nõ potest. Cũ imperio ergo ap- 17
pello, cum potestate exercitus habẽdi, bellíque gerendi. quod tum verbis his Ciceronis confirmo, tum iis quæ sunt in oratione de suppliciis: *Cum paulo ante nunciatum esset de Tempsano incommodo, atque inueniretur nemo, qui in illa loca cum imperio mitteretur*. nimirum enim imperium militare significat, non iurisdicendi potestatem. neque enim Tempsanum illud incommodũ cognitione prætoris eguit. sed exercitus auxilio. Adde quod 18
qui ciuilem adeptus potestatem erat, quæ magistratũ ipsum attingebat, is in vrbe manebat, qui cum imperio erat, quoniam exercitus habẽdi potestatem obtinebat, ídque parum ciuili tutum libertati putabatur, is statim ex vrbe egredi, & aut in prouinciam, aut ad bellũ delatũ proficisci, aut ad vrbem cum imperio manere iubebatur. vbi verò ex prouincia, bellóque reuersus erat, aut statim vrbem priuatus ingredi, aut si de triumpho cogitabat, ad vrbẽ morari solebat. Quod si trium- 19
phum impetrasset, tum quoniã triumphare sine exercitu non poterat, exercitum autem haberi sine imperio non licebat, imperium autem mili-

tare in vrbe non concedebatur, propterea lex ad plebem de imperio eius diei ferebatur. Ac de imperio quidem ipso ad vrbem multi loquūtur, sed in primis Asconius: *Ad vrbem esse dici solet de iis, qui cum potestate prouinciali aut nuper è prouincia reuertissent, aut nondum in prouinciam profecti essent.* Et Cicero pro Sextio: *Erat Pompeius ad portas, erat cū imperio.* recte. nam Hispanias procos. obtinebat. & Sallust. in Catilina: *Metellus, & Marcius erant imperatores ad vrbem, impediti paucorum inuidia, ne triumpharent.* Et Cic. in 4. Verrina: *Verres simul atque ei sorte prouincia Sicilia euenit, statim Romæ, & ad vrbem, ante quam proficisceretur &c.* iterum Asconius in orationem pro Scauro: *Horum magna pars per tabulas laudauerunt, quia aberant. inter quos Pōpeius quoque. nam quòd erat pro consule, extra vrbem morabatur.* & Dio: *Pompeius extra pomœrium populū euocauit. nam imperium proconsulare habebat, nec poterat in vrbem ingredi.* De imperio vero, quod vno die triūphātes habebant in vrbe, sic Liuius: *Paullo, Anicio, & Octauio decretus est ab senatu triūphus. mandatúmque Q. Caßio prætori, cum tribunis plebis ex auctoritate patrum ageret, rogationem ad populum ferrent, vt iis, quo die autem triumphantes inueherentur, imperium esset.* & alibi. *Tribuni pl. ex auctoritate patrum ad populum tulerunt, vt M. Marcello, quo die vrbem ouans iniret, imperium esset.* Quibus omnibus ex locis neminem esse existimo, quin videat, duo elici posse, tum imperij nomine rei militaris administrationem præcipue notari, tum idē imperiū non semper lege curiata mandari. Etenim

& iis, qui ex priuatis ab bella cum imperio proficiſcebantur, nullo modo neceſſaria lex curiata erat, iis, qui ex magiſtratu in prouinciam ad ius dicendum, bellúmque, ſi res tuliſſet, gerendum mittebantur, non omnino. id quod Cicero ſignificauit, cum dixit in epiſt. ad Lentulum: *Appius conſul dixit in ſenatu, ſeſe, ſi licitum eſſet legem curiatã ferre, ſortiturũ cũ collega prouinciam, ſi curiata nõ eſſet, comparaturum cũm collega, & tibi ſucceſſurum, legem curiatam conſuli ferre, opus eſſe, neceſſe non eſſe. ſe quoniam ex S.C. prouinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quo ad in vrbem introiiſſet. ſunt qui put ent, te non poſſe decedere, quòd ſine lege curiata tibi ſuccedatur.* & libro tertio ad fratrem: *Appius ſine lege curiata confirmat, ſe Lentulo noſtro ſucceſſurum.* & libro 4. ad Atticum: *Appius ſine lege, ſuo ſumptu, in Ciliciam cogitat.* Quibus ex verbis colligi mihi poſſe videtur, conſulem, qui ex S.C. prouinciam habeat, ſine lege curiata imperium habere potuiſſe, quia legem curiatã de imperio ferre conſuli opus fuerit, neceſſe non fuerit. uſque adeò, vt qui legem curiatam haberet, publico ſumptu in prouinciam proficiſceretur, qui nõ haberet, ſuo, vt Appius facere decreuerat. Atque eodem etiam 21
pertinere verba Cn. pompeij ad Senatum, à quo miſſus aduerſus Sertorium erat, opinor, cum à ſenatu ſtipẽdium peteret: *Equidem fateor, me ad hoc bellum maiore ſtudio, quàm conſilio profectũ, qui nomine modo imperij à vobis accepto diebus quadraginta exercitum paraui.* Quaſi verò velit dicere, ſe accepto modo à ſenatu nomine imperij, quo ius adeptus

est exercitum comparādi,& bellum gerendi,suo sumptu inHispaniam esse profectum.Atque hoc quidem meum est de lege curiata, imperióque iudicium.Gruchius autem longè aliter opinatur. Legem enimcuriatā duplicem esse censet,vnam, quæ omnibus lata sit magistratibus, alteram, quæ iis præcipuè, qui exierint in prouincias.atque vtraque idem imperium impertitum. Imperium autem ipse appellat summam cuiusque magistratus auctoritatem. quoniam autem ad summam dictatorū,consulum, prætorum, proconsulum, & proprætorum auctoritatem pertinet, vt prǽter iurisdictionem bellū etiam gerere posśint, id totum fuisse imperium arbitratur.Hoc autem imperium cōsules,& prætores accepisse comitiis centuriatis,& curiatis.fuit enim ius ipsum magistratus,quod binis hic comitiis transmissum existimat.
22 Quod si iidem consules, prætorésque in prouincias, quas ex S.C.obtinuerint, proficisci voluerunt, eos necessario noua curiata de imperio lege ornari oportuisse existimat. Eodémque modo priuatos omnes idem imperium primum senatus consulto, deinde lege curiata accepisse. eosdem etiam, quamuis sine prouincia fuerint, magistratus habitos esse, quia imperium, id est magistratus auctoritatē obtinuerint. Ex quibus intelligi potest, quinque potiśsimū de rebus inter nos &quidem maximis discrepare,vna,quòd ille magistratibus omnibus in prouincias profecturis necessariam vtique fuisse legem curiatam existimat,nos non vtique,altera, quòd potesta-

tem belli gerendi priuatis concessam ille magistratum, nos imperium appellamus, tertia, quod ille priuatis etiam ad bellum, prouinciásque tendentibus omnino necessariam fuisse eandem curiatam de imperio legem putat, nos nullo modo, quarta, quòd imperium ille iuris dictionis, & rei militaris vnum statuit, atque iisdem comitiis delatum opinatur, nos alterũ ab altero distingui, atque diuersis comitiis mandari dicimus, quinta, quòd ille duplicem curiatam facit, vnã, quæ magistratibus omnibus det imperiũ cuique magistratui accommodatum, alteram, quæ potissimum prouincialibus, nos vnam tantum statuimus, quæ prouincialibus. De quibus quæstionibus placet deinceps eodẽ hoc qualicunque, quo ille instituit, ordine differere, argumentis nostrũ vtriusque inter se conferendis. Primũ ergo duas ille Liuij profert auctoritates, cum mihi non incognitas, tum minime omnium me lædentes. nã quæ ex iis eruit, ea meæ potius, quam illius opinioni conuenientia sunt. Earum vna illa est è libro quinto: *Comitia curiata, quæ rem militarem continent.* altera è nono: *Dictatori legem curiatũ de imperio ferenti triste omen diem diffidit, quòd Saucia curia principium fuit.* atque hanc quidem in me cõuertit, qui scripseram, mirari me, quòd non curiatæ legis de imperio frequentior in veteribus annalium monumentis mentio inueniretur, si ea magistratibus omnibus esset vtique necessaria. atque ex tribus cladibus ibi à Liuio memoratis, ad Cremerã, captæ vrbis, & Caudinæ pacis, quas

omnes decretum curiarum præcesserit, hoc quo-
tannis, atque in singulis magistratibus seruatum
esse cõtendit. Qui locus neque mihi fuerat igno
tus, & singularis est, nec meam prorsus admira-
tionem tollit, qui rem tantam non vno in loco,
obiter, & obscure, sed in multis, ex instituto, atq;
aperte tradi cupiebam.

His autem rebus expositis primam ille quæ-
stionem aggreditur: An omnibus magistratibus
23 in prouincias profecturis lex curiata de imperio
necessaria fuerit. Necessariam autẽ omnino fuis-
se duabus adductus auctoritatibus putat, vna Ci-
ceronis, *Consuli, si legem curiatam non habet, rem mi-
litarem attingere non licet*, altera Liuij: *Curiata comi-
tia rem militarem continent*. ex quibus elicit, legem
curiatam omnino fuisse consulibus necessariam,
quod res militaris in primis ad eos pertineret.
Ego autẽ dico, consulibus, prætoribúsq; legẽ cu-
riatam de imperio fuisse necessariam, nõ vt ma-
gistratum, quemadmodum ille inquit, gererent,
sed vt rẽ bellicam, & prouincias, quæ eis ordine
cõmittebantur, administrarẽt, verũ nõ vtiq;. atq;
hoc ex sententia Appij consulis, qui dixit: *Cõsuli
legem curiatam ferre opus esse, necesse non esse*. quem lo
cum in hunc modũ interpretatur: Appiũ consulẽ
legem curiatã postulasse, vt legitimè imperium
obtineret, maligne autem legem Corneliam in-
pretatum esse, quæ esset non de obtinendo, sed
de progãdo imperio. quare dixisse, se non vio-
laturum legem Corneliam, si quæ ad legitimum
imperium obtinẽdum necessaria essent, non ob-
seruasset.

seruasset. Ego verò dico, Appiũ legem curiatam 24
poposcisse, non tam vt legitimum haberet impe-
rium, quàm vt ornatam viatico prouinciam ob-
tineret. atque hoc significare verba illa eius: *Con-
suli legem curiatam ferre opus esse, necesse non esse*, id est
vtilem quidem esse, verum non ita necessariam,
vt omnino sine illa prouincia cum imperio ob-
neri non queat. Sic enim locutus est etiam in li- 25
bris de Oratore: *Tertium genus etiam si opus est, ta-
men minus est necessarium*, cum de genere demon-
stratiuo loqueretur vtili potius ciuitati, quàm
necessario. Non esse autem vtique necessariam,
in hunc modum dico ab Appio confirmari. Qui
prouinciam ex S.C. obtinet, is imperium habet,
habebítque ex lege Cornelia, donec in vrbem
reuerteretur. atqui ego prouinciã habeo ex S.C.
ergo habebo etiam ex lege Cornelia imperium 26
sine lege curiata. verum non ita commode. nam
meo mihi sumptu, sine publico viatico erit pro-
ficiscendum. si quidem alio loco hoc ipsum de-
clarat, cum inquit: *Appius sine lege, suo sumptu in
Ciliciam cogitat*. atque hanc consuetudinem ne- 27
scio an Dio quoque attigerit libro 52, cum de
prouinciarum rectoribus scripsit: *Antiquitus qui
munus publicum gerendum suscipiebant, ij omnia, quæ
ad imperium pertinerent, de suo suppeditabant. Au-
gusto autem imperante illi certam accipere mercedem
cœperunt*. At Cicero, inquit Gruchius, paullo post 28
subiicit: *Sunt qui putent, te non posse decedere, quia sine*

lege curiata tibi succedatur.ex quo declaratur,legem curiatam nō vtilitatis gratia necessariam fuisse,
29 sed iuris.Quid?nonne Appius cōsul quoque ius nouit?at hic & in sermonibus,& in senatu dixit, Consuli legem curiatam ferre opus esse, necesse non esse.Quod si,vt confitetur Gruchius, imperium interdum sine lege curiata haberi extra ordinem potuit,& si triūphaturi,vt supra declarauimus, vnius diei imperium comitiis tributis, non centuriatis obtinuerunt, & si lex curiata in prouincias exeuntibus vtilis potius, quàm vtiq; necessaria fuit, non tam vt haberent imperium, quàm vt ornatius, atque etiam auspicatius obtinerent,satis argumenti est, legem curiatam non semper fuisse habendo imperio necessariam. Altera quæstio sequebatur, An priuati, cum imperio ornabantur,id ipsum ex lege curiata assequerentur. Affirmat hoc Gruchius,idque duobus argumentis,vno,Si magistratus eguerunt curiata, multo magis priuati, altero, Cū lex curiata prætoribus prouincialibus ferebatur,æque omnibus ferebatur.quare cum eorum multi multos ante annos prçturam gessissent,priuatis quoque multis fuerit lata, necesse est. Quibus ego.Si magistratus,vt probaui,non vtique eguerunt curiata, neque priuati. magistratus autem non egerunt, quia prouinciam, & in ea imperium ex S. C.habuerunt,neque priuati, quia ad bellum cum imperio,aut S.C.aut plebiscito missi sunt.Prætorij vero illi,quanquam priuati,id est sine magistra-

tu erant, tamen quia iure magiſtratus, quem in vrbe geſſerant, prouincias obtinuerant, eadem prope in cauſſa fuerunt, atque ij, qui ex prætura ſtatim in prouincias abierunt.

Proconſules præterea, & proprætores magiſtratus eſſe negaueră. Refellit hoc ille deinceps aliquot argumentis in tertia quæſtione. Eorum autem omnium breui hac allata diſtinctione facilis eſt diſſolutio. Proconſules, & proprætores 30
alij in prouincias ad ius dicendum, & bellum, ſi res tuliſſet, gerendum miſsi ſunt, qui magiſtratus fuerunt, vt Cn. Pompeius procos. in Aſiam, M. Cicero in Ciliciă. alij vero ad bellū̃ tantū̃, & hi magiſtratus nō fuerūt, ſed cū̃ imperio fuiſſe dicti ſunt, vt P. Scipio procos. in Hiſpaniam, & C. Octauius in Galliam. Non fuiſſe autem magiſtratus, auctor non contemnendus eſt Liuius. qui de P. Scipione ita loquitur: *Ob res geſtas magis eſt tentata triumphi ſpes, quàm petita pertinaciter, quia neminem ad eam diem triumphaſſe, qui ſine magiſtratu res geſsiſſet, conſtabat.* de C. Octauio Cicero: *Demus imperium Cæſari, ſine quo res militaris adminiſtrari non poteſt.* non enim dixit, ſine quo ius dici non poteſt. Neq; enim ſola militaris iuriſdictio plenum attuliſſe imperatori magiſtratum videtur, quia Liuius nunquam Scipionem procos. ſine magiſtratu fuiſſe aſſeruiſſet, neque Suetonius ſcripſiſſet in Tiberio: *Nemine cum imperio, aut ma-* 31
giſtratu tendente quoquam, quin Rhodum diuerteret.

32 nec Liuius iterum libro 42: *Locuſtarum tantæ nubes à mari vento repente in Apuliam illatæ ſunt, vt examinibus ſuis agros late operirent. ad quam peſtem frugum tollendã Cn. Sicinius prætor deſignatus cum imperio in Apuliam miſſus, ingenti agmine hominum ad colligendas eas coacto aliquantum temporis abſumpſit.* Neque enim illud Sicinij imperium, magiſtratus imperium dici poteſt, cum ille magiſtratum non dum iniſſet, ſed adhuc deſignatus prætor eſſet. At proconſules, & proprętores faſces habuerũt. non repugno. illud dico, non ius faſcium, ſed auſpicium & iudicium magiſtratum afferre. ſiquidem multi magiſtratus fuerunt ſine faſcibus, & multi faſces habuerũt ſine magiſtratu, ſed tamen non ſine imperio. At iidem proconſules à Cice-
33 rone magiſtratus vocãtur. Sit id ſane, quod nullo modo eſſe contendo. quid? non ne idem Cicero tribunum pleb. magiſtratum appellat, quem tamen Liuius ac Plutarchus certis rationibus magiſtratum non eſſe conuincunt? certè. quid ita? nempe quia aliter loquimur in hiſtoria, cum artem quaſi veteris memoriæ prodimus, aliter in orationibus, cum clientis cauſſam vincẽdi cauſſa defendimus. ibi enim propria vocabula vſurpantur, hic tranſlata fere, ac ſæpe homonyma conquiruntur. Quod ſi tribuni plebis non ſunt magiſtratus, quia antiquitus, vt inquit libro 13. Gellius, creati ſunt non iuri dicundo, neque cauſſis, querelíſque de abſentibus noſcendis, ſed interceſsionibus faciendis, quibus præſentes fuiſ-

sent, profecto neque proconsules & proprætores isti magistratus erunt, quia non iuri dicundo, sed rei gerendæ delecti sunt, quippe qui prouinciam non habeant, cui ius dicant, sed in hostili fere agro, aut in aliena prouincia bellum gerant. At proconsules, inquit, & proprætores auspicia babuerunt, proconsules, quia in prouincias profecturi legem curiatam comitiis auspicatis latam habuerunt, proprætores, quia cum L. Martium in castris proprætore milites delegissent, grauiter id tulit Senatus, quòd, teste Liuio, diceret, rem mali exempli esse, imperatores legi ab exercitibus, & solemne auspicatorum comitiorum in castra tranferri. Acute hercle, atqu e ingeniose, quis negat? at parum tamen ad vetustatis veritatem accommodate. Primum enim cum dicimus proconsulés caruisse auspiciis, non loquimur de iis, qui prouincias ex consulatu obtinuerunt, sed de iis, qui priuati ad bellum cum imperio missi sunt. deinde cum dicimus proconsules, & proprætores auspicia non habuisse, vtrósque non inauspicato creatos esse, sed rem inauspicato gessisse intelligimus. postremo addimus, quicunque auspiciis vsi non sunt, eos neque auspicia à populo accepisse. quoniam autem procõsules, & proprætores auspicia non adhibuerunt, propterea effici, vt neque ea à populo acceperint, quo posito sequitur, vt nemo proconsulum, ac proprætorum, qui ad bellum cum imperio missi sint, curiatis comitiis, quæ auspicata erant, impe-

rium acceperit, ſed tributis. Atque hæc omnia, quæ dicimus, ex Ciceronis ſententia dicimus, qui in ſecundo de diuinatione ita ſcriptum reliquit: *Deiotarus auſpiciis ſemper vtebatur, nos, niſi dum à populo auſpicia habemus, quam multum iis vtimur? bellicam rem adminiſtrari maiores noſtri niſi auſpicato noluerunt. quà multi anni ſunt, cum bella à propætoribus, & proconſulibus adminiſtrantur, qui auſpicia non habent: itaque nec amnes tranſeunt auſpicato, neç tripudio auſpicantur.* Ex quibus verbis quis eſt, qui non intelligat, proconſules, & proprætores, qui ad bella miſsi ſunt, auſpicia idcirco nõ habuiſſe. quia à populo non acceperant? At teſte, inquit, Liuio accipiebant, quia de L. Martio proprætore in caſtris lecto queſtus eſt Senatus, rem mali exempli eſſe, ſolemne auſpicatorum comitiorum

34 in caſtra eſſe tranſlatum. Egregie ſane. Eſt tamen intelligendum, querelam illam Senatum ad ea quæ antea factitata eſſent, non quæ poſtea fieri cœpta ſunt, retuliſſe. Ante Martium enim qui à populo imperium acceperant, curiatis comitiis omnes acceperant, conſules, prætores, ac dictatores. nam de priuatis ante P. Scipionem vix quenquam inuenias, quem vnico etiam exemplo centurię procos. in Hiſpaniam eodem anno, quo in caſtris L. Martium milites, delegerunt. QuareSenatus grauiter ferebat, curiatorum comitiorum auſpicia prope in caſtra eſſe tranſlata, quibus ante prætores, non priuati homines conſueſſent ornari.

Deinceps quintam de lege curiata diſputationem aggreditur,eámque ſtatim,longo de imperio neſcio quo modo ſermone iniecto, dimittit, haud ita poſt multo repetiturus. Nos autem ad omnia, quæ ab eo de lege curiata dicuntur, poſt vno loco reſponſuri,latius nunc de imperio,quę quarta fuit quæſtio, diſſeremus. Primum ergo vnum ille tantummodo imperium ſtatuit, ſummam cuiſque magiſtratus auctoritatem. atque hoc modo conſules, itémque prætores duplici imperio pręditos fuiſſe,vno ciuili,altero militari, cenſores autem ciuili,tribunos militum militari tantummodo aſſerit. Ego verò Conſules ipſos proprio ſui magiſtratus officio ciuilium tantum rerum adminiſtrationem habuiſſe aio,nempe poteſtatem auſpicandi,iuris dicendi,in ius vocādi, prehendendi, cum populo agendi, ad Senatum referendi,& ſi quid aliud fuit eiuſmodi.militare 35
verò imperium, id eſt ſacramento milites adigendi, exercitum habendi, bellúmque gerendi ius in vrbe quidem ſine ſummo Senatuſconſulto,extra vrbem verò ſine prouincia, aut lege curiata nequaquam conſequi potuiſſe, ac de ſenatuſconſulto quidem auctorem eſſe,vt ſupradixi, Salluſtiũ,de ceteris verò Ciceronem,& Liuium. Quod ſi eorum omiſsis auctoritatibus ad rationem res reuocetur, nego militare imperium eadem, qua conſulatũ,lege delatũ, atque adeò cũ ipſo conſulatu fuiſſe confuſum. primum, quia ſi conſules iure magiſtratus rei militaris faculta-

tem habuissent, magistratum autem æque curiacomitiis, atque centuriatis adepti essent, efficeretur, vt imperium ipsum militare non magis cu riatæ legi, quàm centuriatæ deberent, at curiatæ legi imperium acceptum retulerunt, centuriatæ magistratum, quis ergo dubitat, quin militare imperium à consulari fuerit separatum? deinde quia si lex curiata consulare imperium impertiret, sequeretur, vt consules consulare munus nul lum obire ante legem curiatam de suo imperio latam possent, at legem ipsam curiatam de se cũ tulerunt, opus consulare maximum peregerunt. ergo imperium lege curiata acceptum non consulare fuit, sed bellicum, atque ab illo longe seiũ-

36

37 ctum. Ad hæc vero si consulatus solus, non prouinciæ adeptio, aut legis curiatæ de imperio latio consules ipsos exercitu instruxisset, certe Cæ sar, & Bibulus tum cum in consulatu de rep. dissidebant, non edictis, & obnunciationibus consularibus, sed exercitibus, & armis inter se contendissent, nullus autem consul ex omni memoria, aut aduersus ciues, aut contra hostes arma cepit, nisi aut summo S. C. armatus, aut prouinciã, imperiúmque ex consulatu adeptus. quare qui potestatem rei militaris cum ipso consulatu cõfundit, is se vetera reip, Rom. instituta parum cognita habere ostẽdit. Prætores porro imperium ciuile duntaxat habuisse assero, vt in vrbe alij inter ciues, alij inter ciues, & peregrinos ius dicerent, alij publicorum criminum quæstiones

exercerent, militari vero imperio nullo fuisse præditos, nisi extra ordinem fortasse dato, confirmo. Nam quin prouinciales prætores iuris di- 38
ctionem, reíque militaris potestatem habuerint, verum illam centuriatis comitiis, hanc curiatis acceptam, plane non dubito. Iam vero de censoribus quid dicam, cum id totum sit à me, nihil ha 39
beo. De militari vero tribunorum militum imperio respondeo, militare imperiū duplex fuisse, vnum ducis, qui suis auspiciis rem gessit, alterum ministri, qui mandato ducis obtemperauit. non fuisse autem idem vtrunque, quanquam vtrunq; rem militarem attigerit, ex eo apparere, quòd bello Punico secundo Minucij magistri equitum cum suo dictatore Fabio noua lege æquatum imperium est. quod profecto non esset factum, si par magistri equitum, ac dictatoris sui fuisset. quod si magister equitum non eodē militari imperio ornatus fuit, atque dictator, profecto neque tribunus militum eodem, atque imperator. hic enim belli gerendi potestatem habet, illum mādatis eius obedire oportet, sed præfectis minoribus, ac militibus imperare. vnde sciuit Cicero in Legibus: *Militiæ quibus iussi erunt, imperanto, eorúmque tribuni sunto.* In his autem tribunis militum idem est militare imperium, ac ius ipsum magistratus, quia remota militia nihil eis, in quo magistratum suum exerceant, relinquitur. atque hoc ipsum ius eis non lege curiata, sed tributa defertur. Esse autem imperatoris, &

ministri eius imperium longe diuersum, ostendit quoque Cicero in oratione de prouinciis: *Macedoniam tenui præsidio, etiam sine imperio per legatos nomine ipso populi R. tuebamur.* Quomodo enim sine imperio, si per legatos? nonne enim legati à prætore suo iurisdictionem, & rei gerendę ius acceperunt? sane. at aliud est, suis auspiciis rē gerere, aliud alienis. neq; enim à populo R. prouincia mādabatur, imperiúmue legato, sed proconsuli. quare absente proconsule prouincia esse sine imperio dicebatur. nam imperium belli gerendi ius esse, ídque soli duci conuenire, contendimus.

Age vero non placent hæc Gruchio. num vero probatur illud, Cum imperio esse, significare, exercitui præesse, cuius quis sit imperator? multo minus. cur tandem? quia multi, inquit, in prouincias profecti sunt cum imperio, qui tamē exercitui non præfuerunt, quòd in loca pacata
40 proficiscerētur. Hoc loco ex eo scire cupio, primum, quo modo aliquis posşit esse imperator exercitus, qui non præsit exercitui? deinde quomodo si, teste Cicerone, exercitus sine imperio haberi non potuit, imperium sine exercitu vllum esse militare potuerit? at pacata, inquit, fuit prouincia, vt opus exercitu, imperióque nō fuerit. quid? si prouincia fasces, securésque Rom. prætoris perosa, vt sæpe, defecisset, aut à finitimis hostibus bello petita fuisset, an vero illius retinēdæ, atq; tuendæ gratia prætori Romam redeun-

dum ad accipiẽdum imperium fuit? minime vero. Ergo prætores omnes prouinciales & imperium, & exercitum aliquẽ pro ratione prouinciæ aut quietæ, aut infestæ habuerunt. argumento est, quòd omnes paludati exibant, id est insigni imperij militaris ornati. quis hoc testatur? omnes sed maxime Cæsar libro primo belli ciuilis: *In reliquas prouincias prætores mittuntur, paludatíque votis nuncupatis exeunt.* Quin etiam Theophilus in Institutionibus docet, prætores hiemem iurisdictioni, æstatem rei militari dicasse. At syluæ, inquis, & calles aliquando consulibus prouincia dabatur, ergo sine imperio, id est sine exercitu. Lubricus sanè locus. sed non deest, quid respon- 41
deam. primum audi quæso, quid scribat Tacitus libro quarto: *Erat in iisdem regionibus Curtius Lupus, cui prouincia vetere ex more calles euenerat. is dispositа classiariorũ copia cœptantem tum maxime coniurationem disiecit.* Num verò hic caruisse dici potest imperio, quãuis calles sortitus esset, qui classiarios cõscripsit, coniurationémque cõpressit?
Quid? Cn. Sicinius aduersus locustas cum impe- 42
rio extra ordinem missus est, consules in calles, & syluas prouinciã ordine mittẽtur sine imperio? nõ equidẽ puto. quid est enim tã absurdũ, quàm aut ꝓuinciã sine imperio aut imperiũ sine exercitu cõstituere? nisi verò vt senatori legatio aliquãdo sine mandato honoris caussa cõcessa est, sic magistratui militare imperiũ sine militari munere sit trãsmissum, & vt senatores quidã fuerũt,

qui ius dicendæ sententiæ non habuerunt, sic imperatores extiterunt, qui iure imperatorio caruerunt.
43 Habuerunt quidem, inquis, potestatē exercitus comparandi, si opus fuisset, verum exercitui non pręfuerunt. Habeo quod volo, si habuerunt potestatem exercitus conficiendi, sanè militare imperium habuerunt, si exercitui iusto non pręfuerunt, quòd eo opus non fuit, at legatos, tribunósque militum, & præfectos in vsum rei militaris secum duxerunt, at cohorti saltem ipsi prætoriæ præfuerunt. neque enim sine his prætor aliquis prouinciam vllam administrauit. Verum hæc fortasse ferenda. quid quod imperium etiam potestatem esse exercitus habendi negat? negat? immo verò argumẽtis refutat. quæ sunt ista? Vnũ: Si imperiũ est potestas exercitus, cui præsit, non omnibus accommodabitur, quia multi nullum exercitum habuerunt, quibus prorogatũ imperiũ dicitur. Cui ego: duos fuisse, quibus imperiũ prorogatũ legamus, magistratus prouinciales, vt proconsules, ac prætores, & imperatores, vt procõsules, ac proprætores. Cum autem prorogatum his imperium legimus, intelligendum est, prorogatum id totum esse, quod habebant, vt prouincialibus prouinciæ administrationem, quæ in iuris dictione, & re militari consumitur, imperatoribus rei militaris tantum.
44 Qui vero vrbanum magistratum gerentes in alterum annum reficiebantur, iis non prorogatum imperium dici, sed magistratum continuatum, vt sæ-

pius Mario cōſulatum. & ſi imperio militari fortaſſe præditi fuiſſent, poſt etiam imperium prorogatum. Quibus vero cōſulibus imperium prorogatum dicitur, iis non magiſtratum continuatum, vt conſules in inſequentem annum eſſent, ſed rei bellicæ adminiſtrationem prorogatam, vt proconſulibus rem gererent. quod docet his verbis Liuius lib. 8. *Actum cum tribunis plebis eſt, ad populum ferrent, vt cum Publilius Philo conſulatu abiſſet, proconſule rem gereret.* & paullo poſt: *Duo ſingularia hæc ei viro contigere, prorogatio imperij non ante in vllo facta, & acto honore triumphus.* Neque vero impedit, quin alicui prorogari imperium, id eſt poteſtas habendi exercitus poſsit, quamuis exercitum non habeat, nam cōficere poteſt. ſi modo imperium cuiquam vnquam eſt proro- 45
gatum, qui exercitui omnino nulli præeſſet. Alterum argumentum eius eſt: Si proprætoris poteſtas in iuriſdictione, & reliqua prouinciæ adminiſtratione verſatur, & cum imperium datur, is proprætore eſſe iubetur, profecto imperium non eſt belli facultas. Ain tandem? Proprætorū omnium poteſtas in iuriſdictione, & prouinciæ adminiſtratione verſata eſt? at C. Octauius in Gallia, quam tenebat Brutus, inuaſerat Antonius, quam tandem iuriſdictionem exercuit? Nā 46
qui prouinciæ adminiſtrationem non rei militaris in prouincia obtinuerunt, eos iuriſdictionē cum imperio aſſecutos tum cum prouinciam ſenatuſconſulto, vel tributa lege adepti ſunt, confi-

temur.de illis,qui ad ad bellum tãtum ſine prouincia miſsi ſunt,repugnamus.An vero illud cõſequens eſt,habet imperium , ſine quo res militaris adminiſtrari non poteſt,ergo iuriſdictionẽ? nonne enim multi cum imperio ſubſidio conſulibus miſsi ſunt, qui iuriſdictione tamen caruerũt,niſi æquato cum iis fortaſſe imperio fuerint, vt Pompeius cum Metello in Hiſpania contra Sertorium? An vero cum inquit Cicero : *Demus imperium Cæſari, ſine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris adminiſtrari non poteſt*, ineptè , vt tu arguis,repetit idem, an potius quæ in voce Imperij incluſa tenebantur , aperit , atque dilatat, eáque ad cauſſam ſuam oratorum more accommodat,& quaſi imperij definitionem per partes affert?

Reliquum eſt , vt vltimo loco ei reſpondeam quæſtioni , quam ipſe de lege curiata appellat. Ea verò eſt, an lex curiata magiſtratui ſit neceſſaria, an imperium , quod lege curiata defertur, in ipſo magiſtratu ſit inſitum. Neceſſariam ille eſſe arbitratur ex verbis Meſſallę ſupra recitatis. ex quibus in hunc modum argumentatur. Maiores, & minores magiſtratus habuerunt auſpicia, illi maiora, hi minora. maiora dicta, quæ magis
47 rata, minora, quæ minus. ſi ergo minores habent auſpicia , profecto habent ex curiatis comitiis, nam tributa, quibus creantur, inauſpicata ſunt. Itera dum eadem iſta mihi Gruchi. quid enim ais? Magiſtratum habere auſpicia eſt ne comitiis

auſpicatis creari, an potius poſſe in comitiis auſpicari, id eſt de cœlo ſeruare,& ſua nunciatione comitia impedire? hoc certè.quia omnibus hoc magiſtratibus licuit.cum tamen omnes auſpicato non crearentur.vnde edictum conſulum extitit in comitiis conſularibus:Nequis minor ma magiſtratus de cœlo ſeruaſſe vellet. & maiores magiſtratus maiora,id eſt magis rata auſpicia habuiſſe dicuntur,quia ratũ erat magis, quod nunciabat maior,quàm quod minor.Quid ergo proficis aut aſſequeris,cum ita vrges? Omnes magiſtratus habuerunt auſpicia, ergo comitiis auſpicatis creati ſunt.nihil,aut parum,opinor.cur ita? quia alio modo accipimus auſpicia,cum dicimus, magiſtratus omnes habere auſpicia,alio,cum dicimus, auſpicatis eoſdem comitiis declarari. illo obſeruationem de cœlo intelligimus,qua magiſtratus in omnibus comitiis vſi ſunt, vt Iupiter ne fulſerit,an tonuerit,fulminarítue attenderint, hoc inſpectionem auium,quam augures ad bina tantum comitia curiata, & centuriata adhibuerunt. Quare dixit Ciceronis epiſt.ad Att.libro 4. *Niſi tres augures dediſſent,qui ſe affuiſſe dicerent,cũ lex curiata ferretur,quæ lata non eſſet.* Ex quo fit, vt magiſtratus omnes auſpicia quidem habuerint, id eſt obſeruationem de cælo, at auſpicatis comitiis non omnes tamen creati ſint. quia nonnulli tributis creati ſunt.quæ quanquam non omnino inauſpicato habita ſunt,quia obſeruationem de cælo habuerunt,vnde illa de Cæſare: *Ille autem,*

qui comitiis tributis auſpicatus erat, centuriata habuit, attamen inauſpicata dicuntur, quia augurum auſpiciis caruerunt. At Cicero, inquit, in agraria dixit, magiſtratum lege curiata dari, & triumuiri Coloniæ deducendæ lege curiata fuerunt ornati, & tamen imperium militare non habuerunt. Quid me iſta Gruchi lædunt? qui & verba Ciceronis quo modo eſſent accipienda, oſtendi, &
48 triumuiros lege curiata fuiſſe ornatos, nullo loco ſcripſi. nam quòd eos ſub vexillo deduxiſſe colonos in libris de iure Italiæ prodidi, id longe eſt ab eo, quo de nunc agimus, alienum. Eos vero & lege curiata, & militari imperio caruiſse, niſi quid extra ordinem latum ſit, vt de Decemuiris ſuis tulit Rullus, affirmo,

Inſitum porro in ipſo magiſtratu ſuiſse imperium ille cenſet, quod lege curiata mandatur, atque id his argumentis confirmat. Primum, inquit, Omni dictatori, conſuli, aut conſularem poteſtatem habenti, prætori, aut prætoriam poteſtatem habenti, vt rem militarem pro iure ſui magiſtratus attingeret, opus fuit lege curiata. at lex curiata dat imperium, id eſt rei militaris attingendæ poteſtatem, ergo legis curiatæ imperium in ipſo magiſtratu fuit incluſum. Repeto id, quod iam ſæpe dixi, (ſic enim me facere inſtitutus ab illo huius ordo diſputationis cogit.) magiſtratui nemini pro iure ſuo rem militarem tractare licuiſse, ſi tractare voluerunt, nouo eis Senatuſconſulto, ac noua lege opus fuiſse. quare

militare imperium in ipso magistratu haudquaquam fuisse insitum. Quod si lex curiata ius magistratus expleret, non autem potius aliquid aduentitij iuris adiungeret, fore, vt dictatores, consules, prætoréſque cum populo agere, aut publicum obire munus vllum non ante possent, quàm curiatam legem de suo imperio pertulissent. Pergit inde, & ait: Dictatores multi fuerunt, qui nullum bellum gesserunt, vt seditionis sedandæ, claui figendi, senatus habendi, & alij, quibus tamen pro iure magistratus bellum gerere licuit, vt etiam magistri equitum. ex quo intelligi potest, imperium militare in ipso magistratu hæsisse. Nullius argumenti tam expedita mihi videtur, ac tam facilis explicatio. Quis est enim tam parum de his studis cogitans, qui non legerit, aut certe non fando aliquando audiuerit, dictatores ob id institutos fuisse, vt esset, qui temporibus reipub. postulantibus rempu. cum maiori, quàm qua consules essent, potestate, nempe sine prouocatione administraret? atque hanc eos potestatem accepisse tum cum à cõsulibus dicti sunt? Nam si rem administrare bellicam voluerunt, eos præterea legem curiatam de suo imperio pertulisse, atque eandem tum potestatem in vrbe habuisse, quam consules dicebantur habere, cum senatusconsulto illo summo armati erant, supra statuimus. Quis est item à veteri memoria cognoscẽda tam alienus, qui non animaduerterit, magistri equitum ius duplex fuisse, vnũ in vrbe,

vt pari iure eſſet cum eo, qui eſſet iuris diſceptator, idémque cum populo patribúſque ius agendi haberet, id quod in Legibus ſuis Cicero ſcriptum reliquit, alterum, & magis proprium in bello, vt equitatui imperaret? Quare quod adiicit: Si quod lege curiata obtinebat imperium dictator, ad id imperium pertinuit, quod tã in vrbe, quàm extra vrbẽ habebat, id verò imperiũ erat illud ipſum imperium, quod in ipſo magiſtratu dictatoris hærebat, & quod cum ipſo magiſtratu obtinebatur, ſane cum lex de dictatoris imperio lata eſt, de toto imperiio eius, & non de militari tantum eſt lata, hoc totum inquã, quàm leue, atque infirmum ſit, iam profecto nemo non videt. Neque enim imperium, quod per legem curiatam adipiſcebatur dictator, ad vniuerſum dictatorium imperium pertinebat, cum dictator ante legem curiatam perlatam dictatorio munere fungeretur, primum cum de rebus diuinis in ſenatu referebat, deinde cum legem ipſam curiatam de imperio, aut de equo aſcendendo rogabat, vt de M. Iunio Liuius: *Dictator rebus diuinis perfectis, latóque ad populum, vt equum aſcendere liceret, &c.* Siquidem hanc quoque legem de equo aſcendendo curiatã fuiſſe Gruchius in commentario comitiorum exiſtimat. Aliud: Cum

49 Rullus, inquit, ornauit decemuiros lege curiata, ornauit eos magiſtratu, ergo curiatæ legis imperium in ipſo incluſum eſt magiſtratu. Hic ego,

50 cum Rullus ornauit lege curiata decemuiros,

ion ornauit eos magistratu, sed imperio, id est
duentitia quadam habendi exercitus potestate.
Portenta mihi, inquies, mera narras. Atqui hæc
portenta loquitur auctor non contemnendus in
Cicerone Plutarchus, cum inquit, Rullum lege
sua Decemuiris permisisse pecuniam ex ærario
sumere, στρατιώτας τρέφειν καὶ καταλέγειν ὁπόσων δέοιτο·
id est exercitum alere, & conscribere, quanto
opus esset, cúmque eos αὐτοκράτορας constitutos
inquit. Eadem portenta loquitur ipse Cicero,
cum inquit: *Dat potestatem verbo prætoriam, re vera
regiam. definit in quinquennium, facit sempiternam.
tantis enim confirmat opibus, & copiis, vt inuitis eripi
nullo modo possit.* Si enim Rullus prætoriam pote-
statem in prouinciis Romanorm tribuit decem-
uiris, certe non potestatem prætorum vrbano-
rum tribuit, sed prouincialium, quos per legem
curiatam imperium militare diximus habuisse.
Si confirmat opibus, certè pecunia. nam *sumpum,*
inquit, *haurit ex ærario*, si copiis, ergo exercitu. 51
Vrget postremo vehementius, sic enim ipse lo-
quitur, & ait: Consules, prætorésque comitia cen
turiata in vrbe habuerunt, quibus imperabatur
exercitus. censores item in lustro faciendo exer-
citum imperarunt, neque id sine militari impe-
rio, quomodo ergo militare imperium seuocabis
à magistratu? Quo argumento nullum ego im-
becillius esse iudico. qui enim fieri tandem po-
test, vt qui comitia centuriata habuerunt, vere 52
militare imperium habuerint, cum neque pote-

ſtatem belli gerendi, neque exercitus habendi, ſed populum in centurias diuiſum, quaſi quendam exercitum conuocandi, atque cum eo agendi habuerint? id quod ex eo perſpicuum eſt, quia qui militare imperium habuit, adegit ſacramento militari exercitum, omnéſque milites in ſua verba iurare coegit. qui verò comitia, non item.
53 vt omittam, ſi vera illa, non adumbrata ſpecies quædam exercitus eſſet, ne illud quidem imperium in vrbe, vt inquit ille, futurum, cum comitia cẽturiata non in vrbe, ſed in campo extra pomœrium haberentur. Quid? an verò cenſoruum imperium verum fuit, cum populũ quaſi exerci-
54 tum in campo luſtrarunt? multo minus. cur? quia aliud fuit, cenſorio more populum luſtrare, aliud imperatorio exercitum. ad cenſum conuenerunt patres familias, vt familiam, fortunáſque ſuas iurati profiterẽtur, ad delectum iuniores, quorum plerique filij familias, vt nomina ſua in militiam profeſsi, ſe ſolemni, & quidem longe ab illo diuerſo ſacramento obſtringerent. Addit, ſi triumuiri, quia ſub vexillo colonos deduxerunt, imperium militare habuerunt, multo magis cenſores. quorum vtrunque nego. Vt enim non vexillum, ſic neque luſtratio cauſſam attulit, vt aut triumuiri, aut cenſores militari imperio fuerint inſigniti. nam vexillum imaginarium fuit, & luſtratio illa tota non militaris fuit, verum cenſoria. Atque ex his quidem perſpicuum eſt, nihil tam obſcurum eſſe, quàm id, quod ipſe ſe perfecta

inductione planum feciſſe gloriatur, omnibus magiſtratibus, vt magiſtratus ſui ius plenum haberent, opus lege curiata fuiſſe. quas enim protulit auctoritates non magiſtratibus omnibus, ſed tantum dictatoribus, conſulibus, prętoribúſque quibus res militaris eſſet reipub. cauſſa tractanda, & prouinciarum rectoribus neceſſariam fuiſſe conuincunt. qua de re inter nos conuenit. Rationes autem, quibus, remotis auctoritatibus, vtitur, reprehenſione antecedentis, aut conſequentis, aut certe breui, & minime fucata diſtinctione franguntur omnes, & eluduntur. Hæc habui, quæ breuiter de his quęſtionibus ſcriberem. quæ tantum abeſt, vt ad Gruchij hominis de his litteris optime meriti imminuendam auctoritatem ediderim, vt ob id potiſsimum me ad ſcribendum adductum eſſe confitear, ne grauiſsimum hominem deſpicere, præſertim acrius in me inuehētē, ſi ſine reſpōſo dimiſiſſem, viderer.

F I N I S.

Venia à ſuperioribus conceſſa.

De Gruchio & Sigonio.

Antiquata iacent veteris quæ culmina Romæ,
Fractáque disiectis mœnia ruderibus.
Et linguæ accusant & barbara prælia dextræ:
Sit vt vix sit pes quod fuit ante caput.
At nunc doctarum linguarum mite duellum,
Et cædes hosti non nocitura suo,
Instaurant Romam, quæ vos Gruchi atque Sigoni
Mauult quàm pacem bella mouere sibi.

Q. Septimius Florens Christianus.